


PALAESTRA LATINA



ANN. XLII (Fasc. III). — N. 219
M. SEPTEMBRI — A. MCMLXXII

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Praeses: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.
Moderator: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.
Praecipui scriptores: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

I N D E X

ANN. XLII (Fasc. III). — N. 219
M. SEPTEMBRI — A. MCMLXXII

S. FELICI, <i>Pontificium Latinitatis Institutum studiosis patet orbis totius</i>	97
TH. CIRESOLA - J. DANESE, « <i>Passionis Consorts</i> »	105
F. TRENTINI, <i>Feriarum Latinarum nuntius</i>	116
J. M. MIR, <i>Ciceronis specimina - De Senectute IV</i>	119
A. MINICUCCI - J. M. MIR, <i>Commercium epistularum inter socios</i>	127
G. WALLNER, <i>Electrica cordis vis</i>	131
M. MOLINA, <i>Bibliographia</i>	137

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARIUM

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XLII (Fasc. III). — N. 219

M. SEPTEMBRI

MCMLXXII

PONTIFICIUM LATINITATIS INSTITUTUM STUDIOSIS PATET ORBIS TOTIUS

I. INSTITUTI CONSTITUTIO ET FINIS

— Constitutio

Latinitatis Institutum, quod Pontifex Maximus Joannes XXIII die XXII febr. MCMLXII condi censuerat, a Paulo VI Romae erectum est litteris «Motu proprio» datis Studia Latinitatis die XXII febr. MCMLXIV.

— Fines

In eodem Pontificio Decreto munera huic Latinitatis Instituto assignata clare enuntiantur, quae praesentis temporis necessitatibus maxime accommodata sunt:

— ut «Auxilio esse possit Apostolicae Sedi in iis omnibus quae *ad linguas Latinae incrementum in Ecclesia efficaciter pertinere videantur*».

Ad hoc munus absolvendum Latinitatis Institutum inceptis cujus-

vis generis favebit, quae ad Latinae linguae et, pro congruenti parte, Graecae etiam cultum in mundo servandum ac provehendum valebunt: Auctorum scilicet opera in lucem edit; scripta et commentaria conficit; studia ac nuntios de universa Latinitate pervulgat aliaque id genus.

— Sed propositus, quod praecipue Joannes XXIII assequendum huic Instituto mandavit et Paulus VI confirmavit fusiusque declaravit, illud est, ut «*scholas habeat de universa cujusvis aetatis Latinitate, cum primis de christiana*».

Instituti igitur proprium est ita altiora quoque humanarum litterarum studia promovere ut qui ad Gradus academicos adspirent aptis scholis idoneisque subsidiis instituantur, quibus facultas quoque sit sive Auctorum classicorum et christianorum sive Sacrarum Scripturarum necnon Theologiae et Liturgiae fontes ac primigenos codices adeundi et intellegendi deque iis, si res postulaverit, perite disceptandi.

Propterea in Latinitatis Instituto:

— erudiuntur laici et clerici ut linguarum classicarum naturam vim praecepta perdiscant;

— finguntur periti *scientiae patristicae, litterarum christianarum, historiae Theologiae, historiae Theologiae Spiritualis, Sacrae Liturgiae, Litterarum Medii Aevi, litterarum aetatis humanisticae*;

— formantur magistri, qui easdem disciplinas in scholis varii gradus tradere possint earumque florem promovere;

— praeterea ii docentur qui Latinam linguam scribant et loquantur in ministeriis S. Sedis, in Curiis dioecesanis, in Officiis Religiosorum.

II. CONDICIONES AD CURSUS FREQUENTANDOS

Pontificium Latinitatis Institutum viris ac mulieribus laicis et religiosis, necnon universo clero patet.

Auditores alii sunt *ordinarii*, qui ad Gradus academicos consequendos contendunt; alii *extraordinarii*, qui aliquos vel omnes Instituti Cursus frequentant, non tamen ad Gradus academicos acquirendos, sed tantum ad aliquod Diploma obtinendum; *hospites* appellantur qui sive per annum sive ad tempus cursibus peculiariibus, exercitationibus et scientificis Instituti subsidiis fruuntur.

III. ACADEMICI GRADUS

Baccalaureatus secundo expleto anno academico, *licentia* vero expleto tertio anno academico, *Laurea* (seu *Doctoratus*) denique expleto quarto anno academico confertur.

Gradus academici Licentiae vel Laureae qui in hoc Instituto conferentur juris pontificii sunt. Jam vero publicae Auctoritates Italicae et Hispanicae Reipublicae gradus academicos et diplomata a Latinitatis Instituto collata publice agnoverunt. Cum aliarum quoque nationum Potestatibus nunc ipsum agitur ut eadem beneficia alumni earum consequi possint. Praeterea omnes fere studiorum ordines et cursus hujus Instituti confirmari et rati haberi possunt apud Universitates Italicae Reipublicae, ita ut statim legum civilium probationem secum ferant et ad Lauream quoque civilem consequendam valeant.

IV. STUDIORUM ORDO ET CURSUS

Latinitatis Institutum post «investigationem» quandam apud Episcopos et Religiosorum Familias a S. Congregatione pro Educatione Catholica (vertentibus annis 1969 et 1970) peractam, et praesertim post congruentem experientiam hisce primis annis propriae vitae partem, ex qua jam optati fructus veluti primitiae percepti sunt, tum in studiorum ordine tum in rationibus adhibitis, *novos nunc studiorum ordines apparavit*, qui et majorem Cursuum varietatem et ampliores ac praesentiores utilitates praebeant.

Praeter sequentes studiorum cursus infra singillatim descriptos, *curricula breviora* habentur, quae ad Diploma conducunt: *Curriculum Latinitatis* (absque lingua Graeca) vel *Graecitatis*, *Curriculum Latinitatis ecclesiasticae et curialis*.

In omnibus studiorum curriculis peropportune suus locus tribuitur institutioni in arte docendi et praecipue *Didacticae generali et linguarum classicarum*, legibus et principiis hodiernae didacticae artis perceptis et recentioribus adhibitis subsidiis atque instrumentis, quo facilius libentiusque discatur, ita ut alumnorum institutio celerius compleatur eique ad docendi minus rite parentur.

En trium studiorum curriculorum descriptio.

A) CURSUS ACADEMICUS LITTERARUM CHRISTIANARUM

1. *Utilitas curriculum*

Gradus Academici, qui, expleto curriculo, obtinentur, facultatem conferunt docendi *Patristicam*, Historiam Theologiae, Historiam Theologiae Spiritualis, Historiam Philosophiae, Sacram Liturgiam, apud Theologicas et Philosophicas Facultates, necnon in Seminariis Majoribus et Religiosorum Sodalium studiorum ecclesiasticorum Collegiis.

Iidem Gradus Academici, ducere quoque possunt ad exercendum munus docendi humanas litteras in omnibus scholis mediis, quas dicunt, sive inferioribus sive superioribus, sive in Seminariis et Religiosorum ecclesiasticis Collegiis, sive in scholis publice probatis juxta civiles singularum nationum leges.

2. *Conspectus curriculum*

Cursus dividitur in partes tres:

- a) Prima pars, (linguistico-philologica), complectitur disciplinas, quae ad linguae ortus ejusque usus studium attinent.
- b) Secunda pars, (historico-litteraria), complectitur disciplinas, quae ad Auctores spectant inde ab initiis usque ad nostra tempora: Auctores nempe Classicos, Christianos, Medii Aevi et Byzantinae aetatis. Habentur Cursus generales et monographici.
- c) Tertia pars, (methodologico-culturalis), complectitur disciplinas, quae ad subsidiarias notiones spectant, vel praecedentes vario modo complent.

3. *Curriculum explicatio*

Ad Gradus Academicos assequendos frequentandae sunt saltem viginti ex disciplinis in studiorum ordine statutis, de quibus etiam periculum est superandum.

Integrum studiorum Curriculum quattuor annorum spatio continetur: post tres quidem annos priores Licentia, post quattuor autem Laurea (seu Doctoratus) obtineri potest.

Praeterea ipsis discipulis facultas quoque datur sua cujusque programmata proponendi, in quibus tamen ex praescripto comprehendendae sunt omnes primae et alterius partis disciplinae; ad ceteras vero quod pertinet, inter illas eligi possunt, quae in tertia parte continentur, vel etiam inter Cursus monographicos, omissis illis qui per biennium peraguntur quique jam ex praescripto singulas litteraturas comitantur.

Hujusmodi programmata sic parari debent, ut unam aliamve ex sequentibus Cursus indolem sequantur:

— Latinitatem Christianam, — Graecitatem Christianam, — Latinitatem Medii Aevi. Studiorum ordo esse poterit vel philologico-litterarius vel historico-doctrinalis.

4. *Admissio ad Cursum frequentandum*

Ad hunc Licentiae vel Laureae (seu Doctoratus) cursum admitti potest quisquis illud medium studiorum curriculum expleverit, quod facultatem praebet apud singulas quasque nationes ad studiorum Universitatem sese adscribendi aut quisquis curriculum studiorum superiorum peregerit (philosophiae, theologiae, etc.). Praeterea penes Facultatis Consilium est eos quoque admittere qui alios superiorum studiorum cursus rite perfecerint.

B) CURSUS ACADEMICUS LITTERARUM CLASSICARUM

1. *Utilitas curriculi*

Gradus Academici, qui, expleto curriculo, obtinentur, suapte natura ducunt ad litteras classicas docendas in Seminariis et Religiosorum Collegiis ecclesiasticis, in scholis mediis, quas vocant, sive inferioribus sive superioribus publice probatis, juxta civiles singularum nationum leges.

Praeterea discipuli, diplomate Academico ornati, peculiare ali-

quot cursus frequentando, ad scientificam inquisitionem initiari possunt, unde fiant idonei ad sacras vel profanas disciplinas docendas ad studiorum Universitatum rationem.

2. *Conspectus curriculi*

Cursus dividitur in partes tres:

- a) Prima pars, (linguistico-philologica), illas complectitur disciplinas, quae ad ipsius Latinae linguae studium, quoad ejus historiam et usum, pertinent.
- b) Secunda pars, (historico-litteraria), complectitur disciplinas, quae Auctores respiciunt, inde ab initiis usque ad nostram aetatem (Auctores Romanos et Graecos, Christianos et Classicos, Byzantinos, Medii Aevi et recentioris aetatis); quae disciplinae in cursibus generalibus et monographicis perficiuntur.
- c) In tertia parte, (methodologico-culturalis), habentur ceterae omnes disciplinae, quae subsidiariae sunt, vel aliae, quae vario modo praecedentes complent.

3. *Curriculi explicatio*

Eaedem valent normae, quae de superiore Cursu in Doc. 1, n. 3 dictae sunt. Praeterea facultas datur alumni, ut, petitione initio curriculi facta, statutis studiorum ordinibus aliquem adiciant cursum de sua cujusque patria litteratura, maxime si haec una erit condicio, ut Titulus Academicus vim juridicam etiam apud patrias Auctoritates obtinere valeat. Denique, cooperante etiam Paedagogica hujus Pontificii Athenaei Salesiani Facultate, speciales quoque cursus Didacticae classicarum linguarum juxta methodos recentiores institui possunt.

4. *Admissio ad Cursum frequentandum*

Cf. 1, n. 4.

C) CURSUS AD ALTIOREM DEFINITAMQUE RATIONEM
SCIENTIFICAE INQUISITIONIS DUCENDAE

1. *Utilitas curriculum*

Altius instituit eos, qui ad docendum in Universitatibus studiorum adspirent. Inquisitionem scientificam ad disciplinas historicas et philologicas quod attinet provehendam curat, et ad elucubrationes scientificas ita introducit, ut «Doctoratus investigationis», quem vocant, obtineri possit.

2. *Conspectus curriculum*

Cursus trifariam dividitur: Patristicus, Classicus, Mediaevalis.

Unaquaeque pars Curriculum statutum disciplinarum numerum complectitur, quas aliquot comitantur praelectiones, in quibus viri docti de methodis deque investigationum, quae hodie peraguntur, fructibus disceptent.

3. *Curriculum explicatio*

Binae semper in hebdomada praelectiones habentur hac ratione peragenda:

- a) Magister ita exponit novam aliquam suam investigationem, ut alumni omnes et singulas sibi succedentes ejusdem investigationis partes percipere valeant.
- b) Critica instituitur disceptatio aliquorum scientificorum textuum, qui recens in lucem sint editi.
- c) Ipsi denique discipuli de quadam sua investigatione, ipso magistro duce peracta, publice referunt. Singulis alumnis aliqua offertur hujusmodi inquisitio peragenda, cujus argumentum ex ea peculiari studiorum parte ab ipsis eligatur, quae magis eorum intersit.

4. *Admissio ad Cursum frequentandum*

- Licentia vel Doctoratus apud Facultates ecclesiasticas obtenti.
- Licentia vel Doctoratus apud civiles Facultates obtenti aut saltem testimonium examen rite peractorum apud aliquam studiorum Universitatem.

MONITUM. — Praeterea notum facimus beneficas quasdam Institutiones congruum pecuniae subsidium erogare pro alumnis illarum nationum, in quibus regimen comunistarum viget, necnon totius Americae Latinae, Africae et Asiae, qui Romam venient ad studia apud Pontificium Latinitatis Institutum perficienda.

Inscriptiones ad cursus proximi anni academici 1972-73 frequentandos jam recipiuntur. Pleniores vero explicationes et descriptiones petentur:

Segreteria del Pontificium Institutum Latinitatis
Piazza dell'Ateneo Salesiano, 1
00139 ROMA (Italia) - Tel. 884641
SERGIUS FELICI
a secretis

“PASSIONIS CONSORS”

PROOEMIUM

Theodorus Ciresola, Mediolanensis litterarum latinarum ac graecarum cultor atque professor, nimis jamdiu Palaestrae Latinae legentibus innotuit quam ut in praesens eximium poetam scriptoremque latinum ad eosdem deducere opus sit in certaminibus internationalibus praesertim Amstedolamensi, Vaticano, Capitolino primis summisque praemiis toties exornatum.

Hac data occasione Th. Ciresola, qua pietate quoque pollet, carmen condidit in memoriam reverentissimi illius viri Patris Pii a Petrelcina tertio anniversario die ab ejus obitu vulgandum. Saepius ipse poeta Patrem Pium vulneribus seu stigmatibus Jesu Christi honestatum inviserat in Coenobio Sanctae Mariae Gratiarum ut eum ejusque opera sanctitate atque caritate insignita miraretur.

En vobis, lectores humanissimi, carmen quod «Passionis Consors» inscribitur eo certe consilio ab auctore exaratum ut magis magisque ad omnibus Pater Pius a Petrelcina colatur atque reverentia afficiatur.

Interpretationem quoque vernaculam a Josepho Danese conscriptam simul vulgamus, ita ut in opusculo hac occasione edito prostat; quam interpretationem italicam alcaicis quoque numeris aptatam nemo non probabit.

M. MOLINA, C. M. F.

PASSIONIS CONSORS

*Carmen in honorem
Pii a Petrelcina Franciscalis Capulati*

Exceptus arta sub casula, Pie,
dum vota fundis suppliciter Deo,
pectus, pedes nigrant superne
insolitoque manus colore.

Supra sed ulmus frondibus obsita
nidis ad auras obstrepit, ac preces
garritibus miscentur, atque
cum modulis avium canoris.

In monte deinceps coenobium colis,
qui sole scabris rupibus emicat.
Hic findit aegre agros colonus
vomere, rara ubi crescit arbor.

Parva obtulerunt aede Deo tuae
manus trementes, dum lacrimis genas
perfundis, ac vox gutturi haeret,
Victimam, alit quae homines egentes.

Nunc in remoto solus abes choro
preces sodales tecum ubi fundere,
el mane cantus vesperique
edere voce solent vicissim.

PASSIONIS CONSORS

Carme di Teodoro Ciresola
in onore di Padre Pio da Pietrelcina, Cappuccino

*O Padre Pio, le mani supplici
mentre sollevi pregando fervido,
le mani si tingon di sangue,
sul tuo petto, nei piedi, c'è sangue.*

*Sull'olmo verde i nidi gorgheggiano:
anch'essi in festa cantano e pregano.
La cella solinga nasconde
il prodigio compiuto dal Cielo.*

*S'erge sul monte rupestre un cenobio,
che al sol risplende, divino tramite,
coloni pii frangon col sarchio
zolle avare fra poveri arbusti.*

*Treman le mani quando appressandoti,
sollevi all'ara la pura Vittima,
la voce tremante barbuglia,
il tuo volto è rigato dal pianto.*

*Laggiú nel coro cerchi il silenzio,
coro sonante nell'alba e al vespero
di voci alternate armoniose;
solitario nascondi l'arcano:*

Hic genua flectens in manibus caput
junctis recondis, votaue pectore
depromis, et supplex ob alnum
munus agis, Pie, rite grates.

Secessit omnis rerum, hominum sonus,
replent et aedem mira silentia,
umbris chorus caligat atris,
pax et ubique viget beata.

Sed lenis ardens igniculus micat,
sacrasque vincit vix tenebras chori,
lustratque pendentem cruenta
de cruce, paene animatque Jesum.

Ad quem coortis os lacrimis madens
extollis, imum pectus anhelitus
quassat frequens, cor subsilitque,
acer in aure sonusque tinnit.

Jam mente totus mergeris in Deo,
evanuerunt omnia nam tibi,
prorsusque nunc caelis inhaerens,
atque gemens pius haec precaris.

« O Christe, saevae seu rabies cruci
te fixit olim sanctum hominum fera,
seu nostra clavis vulnerarunt
crimina dira manus pedesque,

amoris ignis, quo penetralia
divina flagrant pectoris intima,
extinctus in nobis videtur,
quod furor ingruit et simultas.

*nascondi il volto nell'ombra mistica
fra le tue mani congiunte supplici:
e voti dal cuore pronunzi,
ripetendo il tuo grazie immortale.*

*Tutto alfin tace, le cose e gli uomini;
nella chiesetta silenzio domina:
nel coro s'addensa la notte,
e la pace beata s'effonde.*

*Ma presso l'ara guizza la lampada,
vincendo in coro le folte tenebre,
illumina il corpo di Cristo
animandolo quasi dal legno.*

*E tu il bagnato volto di lagrime,
tu Gli rivolgi, mentre dei tremiti
scotendo nel petto il tuo cuore
anelante ne squassan le fibre.*

*Interamente preso dall'estasi,
tutto vanisce nel cielo limpido,
e solo con Dio vivi lieto;
questa prece gemendo rivolgi.*

*« O Crocifisso, cui rabbia perfida
dannò sul legno santo terribile,
le mani ferito e nei piedi
dai peccati di tutti i mortali,*

*ahimè l'amore flagrante l'intimo
tuo Cuore, o Cristo, divina ai naufraghi
salvezza, nel mondo s'estingue
ove imperano risse fraterne.*

Noxis abacta lege, licentia
effrena morum luxuriat mala,
aetate quae praesens virentes
compedibus puerosque vincit.

Sunt qui scelesti diruere audeant,
invicte, templum, Christe, tuum sacrum,
ac flectere augusto recusent
Pontifici caput insolentes.

Quod si expiandis criminibus tuo
a Patre sancto victima quaeritur,
me fac crucis nunc, Christe, tecum
participem, precor, et dolorum ».

Defixa ligno suspiciens vides
cruore Christi membra madentia.
Miraris ac deflens adoras
corde Deum saliente supplex.

Raptim ex apertis vulneribus volant
Jesu sagittae, lumine lanceae
miro nitentes per tenebras,
membra petunt tua quae volucres.

Transfixus exstas vulneribus sacris,
jam sanguis imo pectore defluit,
rubro manus manant pedesque
usque cruore tibi jacenti.

Insigne munus gentibus omnibus
raptim et remotis hoc patuit Dei,
omnes iter pergunt obire
undique teque adeunt frequentes.

*Dissolto il male da leggi ferree,
data licenza d'ogni libidine,
catene s'impongono turpi
ai fanciulli ed ai giovani in fiore.*

*Oh Cristò invitto, perché s'illudono
il tempio nostro santo d'abbattere,
perché ricusare l'onore
al Pontefice, padre del mondo?*

*Se da tuo Padre chiedi vittima,
fammi, ti prego, fammi partecipe
del tuo doloroso martirio,
e consorte di tua Passione ».*

*Ecco che il Cristo ti appare madido,
tutto coperto di sangue purpureo:
col pianto L'adori, pregando,
palpitando col suo il tuo cuore.*

*Le cinque piaghe dolor saettano,
come di lance fulgenti cuspidi,
cercando nel buio le tue membra
anche il cuore tuo transverberando.*

*Stigmatizzato rimani immobile,
dal cuor squarciato rivi s'effondono:
del tutto figura di Cristo
Padre Pio, serafino d'amore.*

*L'insigne dono diviene celebre,
s'accorre al Padre da tutti i popoli:
si vuol benedire nel dono
la bontà onnipotente del Cielo.*

Ut dura in alto vertice montium
concreta sero stat glacies gelu,
 quae tacta post solis tepore
 liquitur in latices fluentes,

sic dira condit pectore qui diu
delicta, leges despicit et sacras,
 vix ad tuum venit tribunal
 crimina saeva dolens fatetur.

Mundata foedis sordibus ingeris
in corda clemens laetitiam novam:
 te omnes colunt taetrasque noxas
 quisque suas cupit expiare.

Ast a ruina tu quoque vindicas
quos dura culpa compede servitus
 stringit, quibus sollers salutem
 consiliis precibusque donas.

Qui labe nuper flagitii obliti
omnes scelesti dulcis omiserant
 spes, heu, poli, dein restituti
 regna Dei petiere sancta.

Nec sordidatis tantum animis lue
miti benignus pectore provides,
 sed corporum gnavus saluti
 consulis, ut valeant refecta.

Quapropter aegris auxilium paras
casus misertus maestus egentium
 morbis levandis condis aedes
 pauperibus proprias dicatas.

*Come sui monti nell'alto vertice
talora il ghiaccio splende sul nascere
del sole, e i ruscelli sgorganti
scintillando s'abbraccian festosi,*

*così induriti cuori indomabili
nella proterva lunga abitudine
del male, s'accorgon, ne fremon
quando il Padre li accoglie pietoso.*

*Quanto conforto nei cuori torbidi,
quanto splendore nei tetri vincoli,
ritornano, esultano, o Padre,
effondendo propositi santi.*

*Quanti hai salvati dal diro demone,
quanti consigli donasti provvido,
catene si sciolsero, in dono
per il Padre che salva e perdona.*

*Speranze dolci del cielo tornano,
torna nei cuori il dolce anelito
di Dio a cui conduce il pio padre;
Lui circondano i figli del cielo.*

*Né sol provvedi per salvar le anime
ma pur ai corpi pensi, o mitissimo:
tu vuoi che si lodi il Signore
nello spirito che anima il corpo.*

*O benedetta, o Casa amabile
del tuo Sollievo nel sommo vertice,
di Dio ch'è Amore infinito,
e dei poveri, santa dimora!*

Et totus imis visceribus Dei
amore flagras, quo fuit et tibi
divina quaedam mox potestas
qua licuit tibi mira inire.

Te saepe multis in regionibus
videre eodem tempore dissitis:
transis fores ferro obseratas,
ima vides hominumque corda.

Quin fracta morbis corpora suscitās,
spes reddis almas fata querentibus,
omnes tibi cedunt dolores,
laetitiamque animis reducis.

Humana postquam te rabies petit,
quae dente temptat rodere et invido,
exempla Christi ultro secutus
te patientem humilemque praestas.

Ut stella summo splendet in aethere
ac luce miti desuper emicat,
fusus mari qua nauta noctu
tendit iter liquidas per undas,

sic vertet ad te lumina caelitem
fluxum per aevum cunctum hominum genus
ac verba servabit tuumque
auxilium petet usque supplex,

donec statutis muneribus pie
vitae peractis, praemia post sibi
aeterna possit comparare
sede frui queat ut beata.

*L'amor t'accese, divina fiaccola,
l'amor ti spinse a chieder miracoli
perché sui bisogni del mondo
rifulgessero ancor cieli aperti.*

*Ti han veduto per luoghi dissiti,
apparso, Padre, benigno ed umile;
nei claustru ti videro presente
e scopristi dei cuori i segreti.*

*Guaristi, Padre, morbi incurabili,
fosti conforto all'anime querule,
dolori cessarono acerbi
subitamente, il Padre invocando.*

*Quando t'assalse l'invidia perfida,
quando patisti le fitte tenebre,
tu fosti seguace di Cristo,
umilmente portando la Croce.*

*Come alla stella lo sguardo volgono
i naviganti sul mare trepidi,
fidenti nel lume sicuro
verso il porto ch'aspetta il ritorno,*

*così fidenti, nel tempo labile,
guardano tutti l'astro recondito,
la vita meditando e la morte,
le parole e i sublimi tuoi esempi;*

*tutti preghiamo, come in cenacolo,
d'esser fedeli nei santi moniti
del Padre ch'aspetta i suoi figli
a godere l'eterno convito.*

Italice convertit
JOSEPHUS DANESE PATAVINUS

FERIARUM LATINARUM NUNTIUS

Academia Lentorum Roboretana et Curia ad cultum promovendum in Provincia Tridentina (Assessorato alle attività culturali per la Provincia di Trento), Academia Latinitati inter omnes gentes fovendae adjuvante, Latinae Linguae omnium nationum cultoribus et amatoribus

FERIAS LATINAS - INDICUNT IN DIES 2. 3. 4. M. NOVEMBRIS
A. 1972.

Usus sermonis Latini in dies novos cultores sibi parat, qui memores cultus et humanitatis, quos lingua Latina inter multas et varias gentes effudit, diligentius et permanenter incumbere in studia hujus praeclari sermonis cupiunt.

Itaque nobis in animo fuit indicere Feras Latinas Roboreti et invitare ad eas omnes cultores hujus antiqui et nobilis sermonis, ut possimus illis parare lectiones poeticas Latine expressas optimorum nostri temporis auctorum, acroases musicas cum cantibus Latinis novis et veteribus, fabulas scenicas, disputationes doctas et sermones jucundos et alia plura quae ad cultum et ad nostram humanitatem pertinent.

Inter singulas actiones satis erit temporis ad Latinas cum amicis confabulationes et ad novas amicitias conserendas.

Si Roboretum nobiscum te conventurum putas ad Feras Latinas concelebrandas, nomen tuum des quaesumus ad hanc inscriptionem

"Accademia degli Agiati - Ferae Latinae"
38068 Rovereto (Italia).

Juvabit nos, si quid de Feriis Latinis novi fuerit, ad tempus te docere et te de ultimo ordine singularum actionum et de deversoriis hospitalibus eligendis certiore facere.

Roboreti, die 20. Martii a. 1972.

Academiae Lentorum praeses
Concilium Feriis Latinis agendis
Dr. Prof. FERRUCCIO TRENTINI

EN TIBI SINGULARUM CONSPECTUM ACTIONUM.

Die Jovis 2. M. Novembris:

h. 10: in Auditorio Societatis Philharmonicae (Via Rosmini).
FERIARUM LATINARUM DEDICATIO.

1. Carolus Loewe: Carmen Saeculare.
2. Allocutio dedicationis a Ferruccio Trentini, Accademiae Lectorum Roboretanae praeside, dicenda.
3. Salutationes hospitem et sermones auspicabiles.
4. Josephus Ijsewijn Lovaniensis (sub condicione): «Cycneus Latinitatis cantus? De poetis nostrae memoriae Latinis».

h. 15: in Auditorio Bibliothecae Publicae (Via Bettini).
CONVIVIUM POETICUM I.

Scripta sua recitabunt auctores: Josephus Del Ton, Carolus Egger, Joannes Baptista Pigato, Olindus Pasqualetti et alii.
Auscultantibus facultas dabitur, ut quaestiones lectoribus ponant et opiniones suas proferant.

h. 21: in Auditorio Societatis Philharmonicae.
ACROASIS MUSICA I. cum his operibus:

Dominicus Mazzocchi (1592-1695): Dido Furens - Vergilius
Franciscus A. Bonporti (1672-1749): Ite molles, ite flores...
Otto Tonetti: Trilogia Petriana - Josephus Del Ton
Lucianus Chailly: Tre liriche latinae - Catullus
Ianus Novak: Apicius modulatus - Apicius et Martialis

Die Veneris 3. M. Novembris:

h. 9: in aedibus sacris Sancti Rochi (Via Bettini).
MISSA lingua Latina celebrata cum cantibus Gregorianis (chorus Tridentinus «Sancta Caecilia»).

h. 10: in Auditorio Societatis Philharmonicae.

"De linguae Latinae studiis in Italia et extra"

Disputatio communis cum interlocutoribus Richardo Avallone Salernitano, Caelesti Eichenseer Sanctottiliensi, Roberto Schilling Argentoratensi, Aemilio Springhetti Tridentino.

h. 15: in Theatro (Via Bettini).

Ludi scenici - Rosvithae Gandershaimensis fabula
«Dulcitus», scenae comicae - et
Certamen recitationis poeticae juventuti studiosae indictum.

h. 21: in Auditorio Societatis Philharmonicae.

ACROASIS MUSICA II. cum his cantibus choricis:

Hadrianus Willaert: Dulces exuviae...

Orlandus Lassus: Tityre, tu patulae...

Jacobus Handt-Gallus: Di tibi, si qua pios...

Currit parvus lepulus, Gallus amat Venerem
Cum gallina suum parit ovum.

Janus Novák: Amores Pompeiani.

Kurt Hessenberg: Petrus Hirritus - «Der Struwwelpeter».

Die Saturni 4. M. Novembris:

h. 10: in Auditorio Bibliothecae Publicae: (Via Bettini).

CONVIVIUM POETICUM II et Feriarum conclusio:

opera sua recitabunt et de rebus ad Latinitatem pertinentibus
referent: Richardus Avallone, Antonius Immè, Theodorus Ciresola,
Franciscus Barone, Fidelis Rädle et alii.

h. 13: PEREGRINATIO AD MONUMENTA ANTIQUITATIS.

Veronae: Theatrum Romanum,

Sirmione: Villa Catulli;

Iter autoraedis longis perficietur.

ad. ca. h. 20: CENA VIATICA supra Benacum lacum cum olivarum
coronis et vinis exquisitis.

Academiae Lentorum praeses
Concilium Feriis Latinis agendis
Dr. Prof. FERRUCCIO TRENTINI

CICERONIS SPECIMINA

CATO MAJOR DE SENECTUTE

IV

Cato orationem prosequitur (6, 19-20):

Quam palman utinam di immortales, Scipio, tibi reservent, ut avi reliquias persequare! Cujus a morte tertius hic et tricesimus annus est, sed memoriam illius viri omnes excipient anni consequentes. Anno ante me censorem mortuus est, novem annis post meum consulatum, cum consul iterum me consule creatus esset. Num igitur si ad centesimum annum vixisset senectutis eum suae paeniteret? Nec enim excursionem nec saltu nec eminus hastis aut comminus gladiis uteretur, sed consilio, ratione, sententia. Quae nisi essent in senibus non summum consilium majores nostri appellarent senatum.

Apud Lacedaemonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si legere aut audire velit externa, maximas res publicas ab adolescentibus tabefactas, a senibus sustentatas et restitutas reperietis.

Cedo qui vestram rem publicam tantam amisistis tam cito? Sic enim percontantur in Naevi poemate Ludo; respondetur et alia et hoc in primis:

*Proveniebant oratores novi, stulti adolescentuli.
Temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis.*

81. DI: est forma frequentior pluralis: *di, deorum, dis* vel *dii, diis* potius quam *dei*; *deus* est a *deivos* > *devos* > *deus*¹.

82. RELIQUIAS: id est 'quod avus nondum perfecit, quod ille *infectum reliquit*'.

83. PERSEQUARE: «frequens apud ipsum [Ciceronem] est positio *-re* pro *-ris* passiva, praesente indicativi excepto [ex. gr.: *amare*], ubi apud omnes rara est, nisi in deponentibus [ex. gr.: *hortare*], quorum tamen in quarta rarissima est [ex. gr.: *largire, potire*]²».

84. CUJUS A MORTE: Romani —quo mens seu sententia ligamine

1. Cfr. NIEDERMANN, *Phonétique...*, § 57; ERNOUT, *Morphologie hist. du latin*, § 32, p. 30; LLOBERA, *Grammatica class. latinitatis*, n. 5 et 25, NB. 3.

2. LLOBERA, *Grammatica*, n. 118, II; ERNOUT, *Morphologie*, § 182, p. 122.

quodam arte constringatur et gradatim evolvatur— intimam orationum connexionem assequi student praesertim *conjunctionibus* et *relativis*: cfr. supra: «*Quam* palmam utinam di immortales...».

85. TERTIUS HIC ET TRICESIMUS ANNUS: cfr. *supra*, adn. 42 in n. 216 *Palaestrae Latinae*, pag. 174. Inseritur *hic* ut nimia forsitan vitetur litterarum *t* consecutio. — Sunt qui existiment Ciceronem in annis numerandis hic erravisse, et legere malunt *sextus et tricesimus*.

86. MEMORIAM ILLIUS VIRI: *Ille* eleganter personis rebusque notis apponitur, quas signate notare volumus:

«Testula *illa*» NEP. *Arist.*, 1,2. «Medea *illa*» CIC. *de imp. Pomp.*, 9,22.

«Incredibilis apud Tenedum pugna *illa* navalis» CIC. *pro Arch.*, 9,21.

«Themistoclem *illum*, summum Athenis virum, dixisse ajunt» *Ibid.*, 9,20.

Saepe pronomen *ille* aliis vocibus inseritur —quas notare volumus— ut iis major addatur vis:

«Quam multos scriptores rerum suarum magnus *ille* Alexander secum habuisse dicitur!» CIC. *pro Arch.*, 10,24.

«In quibus Numidicum *illum* Metellum». ID. *Senat. grat. eg.*, 10,25.

«Meus *ille* discessus» ID. *pro dom.*, 25.

— Ac praesertim inter adjectivum et nomen proprium apponitur, ne adjectivum nomini proprio proxime adhaereat —quod vitant Romani—:

«Sapiens *ille* Socrates». «Fortissimus *ille* Achilles». «Magnus *ille* Alexander». «Nobilissimae *illae* Athenae»³.

87. EXCIPIENT: *excipere memoriam* = 'conservare, tenere (prosequi) memoriam alicujus (rei)'; cfr. etiam: «*excipere* pugnam, proelium, dubium».

88. ANNI CONSEQUENTES: qui linguae puritatem consectantur adhibent —ut hoc loco Cicero —*annos consequentes* (*annus consequens*, — *consequenti anno*) vel *annus insequens* (*anno insequenti*), quae interdum apud Ciceronem habentur; posterioris vero aetatis esse ajunt (a Nepote, Plinio, Curtio, aliis usurpata) *sequenti die*, *sequenti anno*; et malunt adhibere participium (*sequente anno*) aut *postero anno*, *postero die* (*postridie*, *proximo die*, *altero die*, *anno post*)

3. Cfr. ISSELÉ, *De Latinorum sermone*, n. 89, adn. 2, c; n. 6, adn. 1; PAOLI, *Scriver latino*, § 96, 2, nota; GANDINO, *Lo stile latino*, III, 11.

aut verbis quibus aliquando usus est Caesar: *is, qui secutus est, dies; eo, quae secuta est, hieme* CAES. *de b. gall.*, 4,1,1⁴.

89. ANNO: numeralia saepe omittuntur praesertim cum vocibus *annus, dies, mensis, via, iter...*, nisi claritas id postulet aut numero singularis insit vis:

«*anno ante*»; *anno post*» [‘*uno anno ante*’].

«*Digitum discedere*» [‘*nur einem Finger breit*’].

«*Taleae pedem longae... in terram infodiebantur*» CAES. *de b. gall.*, 7,73,9.

«*Corinthus, urbs pulcherrima atque ornatissima*» CIC.

«*Plato et Aristoteles veterum philosophorum gravissimi atque iidem doctissimi fuerunt*» CIC. [= *duo gravissimi...*] ⁵.

90. ANTE ME CENSOREM — POST MEUM CONSULATUM — ITERUM ME CONSULE: ut supra diximus —cfr. adn. 10, *Pal Lat.*, n. 214: 41 (1971) 73— Romani, ex ipsorum natura et linguae indole, vocibus concretis frequentius utebantur quam abstractis —quae tamen non desunt, ut *post meum consultatum*—; et in primis *concretam* adhibent rationem:

a) cum singularem vitae partem designant:

«*Cum eo quartum consule adulescentulus miles ad Capuam profectus sum*» CIC. *de sen.*, 4,10.

«...*ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus*» CIC. *de orat.*, 1,1,2.

«*Ut primum ex pueris excessit Archias*» ID. *pro Arch.*, 3,4,

— Et in *ablativo absoluto*:

«*Me puero*»; «*adulescente illo*»; «*me sene*» HORAT. *Sat.*, 2,5,84.

b) cum historiae res ex consulibus aliisve magistratibus narrant aut computant:

«*Plautus P. Claudio L. Porcio... consulibus mortuus est, Catone censore*» CIC. *Brut.*, 15,60.

«*Is M. Messala M. Pisone consulibus*» CAES. *de b. gall.*, 1,2,1.

c) cum in *ablativo absoluto* inducitur quis actionem peragat: his similibusque substantivis: *auctore, duce, comite, adjutore, adiutrice, arbitro, praeceptore, praeceptrice, iudice, magistro, teste, interprete*, aut adjectivis: *incolumi, salvo, superstite, invito, propitio*, cet.:

«*Natura duce errari nullo pacto potest*» CIC. *de leg.*, 1,20 [‘*teniendo la naturaleza por guía*’ — ‘*avec la nature pour guide*’].

4. Cfr. KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, s. v. *sequens*, II, p. 563.

5. ISSELÉ, *Ibid.*, n. 43; KREBS-SCHMALZ, *Ibid.*, s. v. *unus*, vol. II, p. 696, n. 8.

«*Salva lege Aelia*». «*Me vivo*». «*Re integra*».

«[*Sapientia*]... *praeceptrice* in tranquillitate vivi potest» CIC. *de fin.*, 1,13,43.

«... ut eo [Dumnorige] *deprecatore*... impetrarent» CAES. *de b. gall.*, 1,9,2⁶.

91. ITERUM ME CONSULE: dicitur *primum, iterum, tertium, quartum*... [‘cónsul por la primera, por la segunda, por la tercera vez’ — ‘console per la prima, per la seconda, per la terza volta’ — consul pour la première, pour la 2^e, pour la 3^e fois...]. — Rarissime, neque imitandum, habetur *semel, bis, ter, quater, quinquies* pro *primum, iterum, tertium*...⁷.

92. CUM... CREATUS ESSET: cum historicum⁸. — Consul ‘creatur’ a magistratu — ‘fit, dicitur’ a plebe — ‘renuntiatur’ a praecone.

93. NUM... PAENITERET: interrogativa *directa* conjuncta cum *dubitativa* temporis *praeteriti*; in qua id attendas oportet: a) in interrogativa *directa* responsum exspectamus *negativum*: ‘ita est: si nunc viveret, profecto eum senectutis *non* paeniteret; b) *dubitativa praeteriti* efferri debet *imperfecto* subjunctivi, neque *plusquamperfectum* adhiberi potest⁹.

94. NUM... SENECTUTIS EUM SUAE PAENITERET?: *paenitet, piget, pudet, miseret, taedet* construuntur cum *accusativo personae* et *genetivo*.

Cum his verbis impersonalibus pronomen reflexivum est *eum, eam, eos, eas*. — Cfr. PAOLI, *Sintassi lat.* § 68, 1,2 et nota; ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe lat.*, § 210, p. 183: «Un impersonel comme (*me*) *paenitet* est assimilé pour l’emploi du réfléchi à un verbe personnel (*paeniteo*): CIC. *C. M.* 19: *num... senectutis suae eum paeniteret?* «serait-il mécontent de sa vieillesse?»; Sest. 95: *ut eum se... fuisse paeniteat* «(qu’) il regrette d’avoir été...» — Scribendum *paenitet*.

95. Si... VIXISSET: condicionalis seu hypothetica *irrealis* temporis *praeteriti*: in *plusquamperfecto* subjunctivi.

96. NEC... NEC... AUT: «*Aut et ve* usurpari post negationem possunt pro *neque*...: «*Neque enim* mari venturum, *aut* ea parte belli

6. Cfr. ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe lat.*, § 126; BERGER, *Stylistique lat.*, 65, p. 202; TESCARI, *Sintassi lat.*, n. 373; MENGE, *Repetitorium*, n. 440.

7. Cfr. ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.*, § 206.

8. Cfr. PAOLI, *Sintassi lat.*, § 276; 207, 2; ERNOUT-TH., *Ibid.*, § 361.

9. Cfr. PAOLI, *Ibid.*, 160, d.; TESCARI, *Sintassi lat.*, n. 301.

dimicaturum hostem credebant» LIV. 21,17,8», LLOBERA, *Grammatica clas. latinitatis*, n. 376, NB. 1.

97. EMINUS... COMMUNUS: 'quin manibus pugnetur, quin milites ad manus sint': *eminus* < *e manus*: «*Eminus* fundis, sagittis reliquisque telis pugnabatur» CAES. *de b. civ.*, 1,26,1. — *Comminus*, 'hoc est cum ad manus pugnatur' VEG. *Mil.*, 3,23; *comminus* < *cum manus*; de his vocibus cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire etymolog. de la langue lat.*⁴ s. v. *manus*.

98. QUAE: quo nexus cum sententia superiore aptius exprimitur, saepe initio orationis relativum apponitur pro demonstrativo et particula *et, autem, vero, sed...* Confer paulo superius: «*Cujus a morte*» 'a morte *autem ejus*'.

99. NISI ESSENT IN SENIBUS NON... APPELLASSENT: dicitur *nisi... non*, at minime: *si non... non*¹⁰; *normae consecutionis temporum a grammaticis saepe strictiores traduntur quam vel ipse Cicero et alii praestantissimi scriptores adhibuerunt. Quod facile intellegat qui librum a Julio Lebreton conscriptum diligenter evolvat (Etudes sur la langue et la grammaire de Cicéron, Hildesheim 1965: Concordance des temps du subjonctif, pp. 224-278).*

Ceterum, in propositionibus condicionalibus *irrealibus* aliquando *imperfectum* pro *plusquamperfecto* usurpatur (interdum in utraque, sed praesertim in protasi) cum actio hujus primi verbi ex mente scriptoris semper (tunc et *nunc quoque*) manere seu perfici creditur:

«Num igitur eum, si tum *esses*, temerarium civem aut crudelem *putares*? CIC. *Phil.*, 9,4,14.

«Si *scriberem* ipse, longior epistula *fuisset*» CIC. *ad Att.*, 7,13 a, 3.

— En de hac re explicationes quae ab scriptoribus adducuntur:

... «lorsque l'imperfect du subjonctif est employé pour l'irréel du passé, comme il arrive de temps en temps en latin classique, il s'explique par référence à un état plus ancien de la langue, où l'irréel du présent s'exprimait par le présent du subjonctif et l'irréel du passé par l'imperfect du subjonctif: CIC. *Att.* 16,5,2 *Quintus fuit mecum dies complures et, si ego cuperem, ille vel plures fuisset*: Quintus a passé plusieurs jours chez moi; il y serait resté plus longtemps si je l'avais souhaité. Cluent. 80 *tum si dicerem, non audirer*: si je j'avais parlé alors, on ne m'eût pas écouté» (Fr. BLATT, *Précis de syntaxe latine*, I A C, Lyon 1952, p. 314).

... «à l'époque classique et plus tard, l'imperfect du subjonctif, tout en étant devenu l'expression habituelle de l'irréel du présent, garde aussi sa valeur ancienne de potentiel du passé. Celle-ci lui

10. Cfr. PAOLI, *Ibid.*, § 309, pp. 305-307; quando *nisi* et *si non* usurpanda sint.

permet d'être appliqué encore souvent —en particulier chez Cicéron— à une condition rapportés su passé, mais *dont on ne s'inquiète pas* de savoir si elle était contraire ou non à la réalité: Cic., *At.* 2,21, 4: *Apelles si Venerem aut Protogenes si Ialysum suum caeno oblitum uideret, magnum, credo, acciperet dolorem* «si Apelle avait vu sa Vénus, ou Protogène son Ialysos souillés de boue, ils en auraient éprouvé, je crois, une grande douleur», m. à m. «qu'ils vissent à voir cela, ils allaient en éprouver...» (simple possibilité); c'est là, en effet, une pure hypothèse, et l'auteur n'entend pas préciser si elle s'était réalisée ou non...» ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe latine*², § 373, p. 378).

Alii vero rem exponunt non ex evolutione historica, sed potius ex ipsa scriptoris mente, qui rem praeteritam *nunc* etiam —aut simul— factam quodam modo putat: cfr. MENGE, *Repetitorium*¹⁴, n. 382; O. TESCARI, *Sintassi latina*, n. 560: «Nel periodo ipotetico di 3.º tipo riferentesi al *passato* trovasi spesso nella *protasi* o nell'*apodosi* (o in *entrambe* le proposizioni) l'*imperfetto* in luogo del *piu-chepperfetto*, con valore, solitamente, di azione *durativa*:»; cfr. etiam LLOBERA, *Grammatica cl. latinitatis*, n. 317, NB. 1.

100. NON SUMMUM CONSILIUM MAJORES NOSTRI APPELLASSENT SENATUM: Tullius ut claritati consulat [ne dicat: 'summum consilium senatum appellassent'] et significantiam vocibus addat [summum consilium... senatum], et numerum aptiorem assequatur [potius quam: 'senatum appellassent': quo clausula dispondeo finiretur (— — / — —)] voces sejungit: *summum consilium... appellās-sēnt sēnātūm* [in qua clausula est: — — / — v / — v].

101. APUD LACEDAEMONIOS: *apud* quandam loci aut personae propinquitatem exprimit; en praecipua exemplorum genera:

a) «*apud* quem [focum] sedens... dona relegaverat» Cic. *de re p.*, 3,28,40 ['junto a'];

b) «*apud* Pompejum cenavit»;
«fuisti igitur *apud* Leccam» Cic., *in Cat.* 1,4,9;
«Pompejus erat *apud* me» Id. *ad fam.*, 16,10,2 [: domi meae -- 'en mi casa': cfr. *Pal. Lat.*, n. 211: 40 (1970) 121;

c) «ut est *apud* Xenophontem» Cic. *de off.*, 1,32,118 ['como se lee en Jenofonte'];

«*quae apud* Homerum Achilles queritur» Id. *Tusc.*, 3,9,18;

d) «*apud* majores nostros justitia colebatur» [id est 'a majoribus vel temporibus majorum nostrorum'];

«*apud* patres nostros» Id. *in Verr.*, 4, 49,108;

«*apud* Germanos ea consuetudo esset» CAES. *de b. gall.*, 1,50,4;

e) «*apud* senatum accusabatur» [‘en presencia de, ante, delante de’];

«*apud* praetorem, *apud* severissimos iudices» Cic. *pro Arch.*, 2,23;

f) «Scipio *apud* Numantiam dixisse dicitur» Id. *de orat.*, 2,66,267 [‘= prope: ‘en las cercanías de, en (sin precisar si dentro o fuera)’].

g) «*apud* villam»; «*apud* Thebas» PLAUT.; «*apud* Rhodum TACIT.; «*apud* Memphim» SUET.: in his locis *apud* idem fere valet atque *in*; sed adhibetur tantum a veteribus et posterioribus scriptoribus¹¹.

102. IT, QUI...: cfr. supra *Pal. Lat.*, n. 209; 40 (1970) 24: «quam *ii qui* Romae erant».

103. QUOD SI: *quod* initio fuit pronomen neutrum, eoque consequens oratio cum proxima superiore conjungebatur. Deinde pronomen habitum est et usurpatum ut conjunctio, cui et aliae additae sunt conjunctiones: *quod si*, *quod nisi*, *etsi*, *ubi*, *utinam*; *quod cum*, *ne*, *quia*¹².

104. QUOD SI VOLETIS... REPERIETIS: oratio condicionalis *realis*: condicio enim *si voletis*... [‘si quis vestrum legere aut audire vult’], id facere potest (potestis). Et ut recte monet P. Llobera (*Grammatica clas. latinitatis*, n. 305, NB.): «In oratione condicionali futuri indicativi usurpatur a nobis futurum subjunctivi aut praesens indicativi. *Naturam ‘si sequemur’ ducem, numquam aberrabimus.* Cic. *Off.* 1,28,100; *si tomáramos por guía, si tomamos.* [*Omnia a te mihi data putabo, si te valentem videro,* Id. *Fam.* 16,13; «si yo te viere esforzado» (con fuerzas)]. — Confer supra: *Pal. Lat.*, n. 209: 40 (1970) 28-29: «Si... non *veneris*, Romae te fortasse *videbo*» Cic. *ad Att.*, 2, 11,2; et «Nos, si dii *adjuvabunt*, circiter idus novembres in Italia speramus fore» Id. *ad fam.*, 14,5,2.

— Nunc autem, has periodos, quam maxime simplices, diligenter inspicere qua ratione struantur atque clausulas et concinnitatem orationis considera:

Apud Lacedaemonios quidem

ii, qui amplissimum magistrarum gerunt,

ut sunt,

sic etiam nōmināntūr sēnēs.

11. Cfr. LLOBERA, *Grammatica*, n. 436; H. TURSELLINUS, *Particulae latinae orationis*, Patavii 1733, cap. 23, pp. 39-40; FORCELLINI, s. v.

12. Cfr. ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.*, § 423, p. 239.

*Quod si legere aut audire volētis extērnā,
 maximas res publicas ab adolescentibus labēfactatas,
 a senibus sustentatas et restitutūs rēpēriētīs.*

De v. *reperio* cfr. *Pal. Lat.*, n. 214:41 (1971) 72 adn. 6.

105. CEDO: 'da, dic' ['donne; apporte, amène; dis']; sunt qui ad verbum *do cedo* et *cette* [plur.] referant; alii vero particulam loci esse credunt; cfr. ERNOUT, *Morphologie historique du latin*³, Paris 1953, p. 185; ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la l. lat.*⁴, s. v. *cedo, cette*.

Hic Naevi versus iambicus octonarius habetur a Lenchantin de Gubernatis (*Manuale di prosodia e metrica latina*, p. 87) et a J. B. Pighi (*Enciclopedia classica* vol. VI, t. II: *La metrica latina*, SEI 1968, p. 313, n. 15) qui tamen ita legit:

Cedo quī rem ves / tram pūblicam / tanta(m) āmisis / tis tam citō?
 et in eo diaeresis media post *publicam* ponit.

106. IN NAEVI POETAE LUDO: ut supra diximus: «*apud Naevium, apud Tullium*»...; sed cum 'liber' apponitur, praepositio *in* adhibetur: «*In Phaedro Platonis*» *Cic. Orat.*, 4,15 [hunc locum alio et alio modo legunt editores].

107. IN PRIMIS: qua ratione distinguantur et adhibeantur *in primis* (*imprimis*), *cum primis*, *praecipue*, *maxime*, *praesertim*, *ante omnia* cfr. apud Paoli, *Scriver latino*², § 177, pp. 268-270.

108. PROVENIEBANT...: alius versus iambicus octonarius, sed cum caesura post *novi*, ut Pighi monet, cfr. *ibidem*.

109. TEMERITAS...: iterum orationis concinnitatem cum brevitate summa considera:

*temeritas est videlicet florentis aetatis,
 prudentia senescentis.*

Quibus ea, quae ad dialogum Ciceronis *de senectute* spectant, tandem absolvimus.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.
 In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor
 Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

COMMERCIIUM EPISTULARUM INTER SOCIOS

Josephus M.^a Mir, C. M. F. Angelae Minicucci sal. pl.

Oro te, spectatissima magistra, ut morae et tarditati meae in his litteris scribendis veniam dare velis; ex quo enim Mandelae convenimus nihil ad te...

Legi, idque perlibenter, quae in *Voce Latina* de Vergilio Paladini, magistro praestantissimo atque litterarum latinarum ornamento, scripsisti. Omnia et singula a te optime sunt descripta atque ad integram latinitatem conformata.

Sincero igitur animo te laudo quod —ut arbitror— optimis magistris usa es et quod constanti exercitatione bene latine loqui et scribere didicisti.

Id tantum —ut animi sinceritatem aperte expromam—: paucissimae quidem periodi mihi, raptim legenti, obscuriores visae sunt ex ea interpungendi ratione qua saepius quam par est, virgulae auferuntur.

Omnia prospera et fausta tibi, et vale.

Die 15 m. nov. a. 1971, Roma.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

Angela Minicucci P. Josepho M. Mir, s. p. d.

Ignoscas mihi, pater reverentissime, quae ante non scripsi. Plurimis curis et laboribus districta et paene oppressa sum aegrotante sorore. Pro ea ut orare velis instanter Te oro atque rogo. Utinam Deo favente ad sanitatem redire possit!

Parvulam chartam accepi qua Natali Domini vertente amicis fausta felicia divina egregie eleganterque Tuo de more dixisti. Ego quoque omnia fausta felicia divina in novum annum Tibi ominor, serius quidem quam debui, at ex animo.

Gratias Tibi ago maximas pro epistula et scriptis Tuis quae mihi benigne misisti. Periodi quaedam scripti mei de Vergilio Paladini obscuriores factae sunt propter verba vel perperam impressa vel plane immutata. Exempli gratia, in pag. 26 *desitis* pro *disitis* legendum est, in pag. 28 *asservarent* pro *asseverarent*. Me paenitet in exemplari Tibi dato errata non emendasse: at Mandelae aliis intenta fui rebus!

Pergrata mihi et jucundissima dixisti scriptum meum de Vergilio Paladini «ad integram latinitatem conformatum» dijudicans: iudicium enim Tuum plurimi, ut par est, facio.

Liber Tuus qui «Nova Verba Latina» inscribitur per bibliopolam meum emptus nunc tandem mihi in mensa praesto est; quo in legendo et evolvendo persaepe haerens cum reconditam amplissimamque doctrinam Tuam miror tum singularem illam facultatem, qua inter omnes latinitatis auctores polles eminesque, nova eaque aptissima verba proponendi ad res nostrae aetatis significandas. Tibi ex animo gratulor qui tantum ingenii et temporis et industriae in haec studia confers. Optime quidem et mirifice de lingua Latina defendenda et propaganda meritus es! De Novis Verbis Latinis a Te nobis supeditatis deque Tuis in linguam Latinam meritis me serius ocuis spero scribere posse.

Commentationem Tuam de *Latinitate Christianorum propria* in libello «Latinitatis» nuper accepto perlibenter legi: paginas vere doctas et laboriosas!

Etiam atque etiam vale et ora pro nobis.

Data Florentiae die 22 mens. Jan. a. 1972.

ANGELA MINICUCCI

Josephus M.^a Mir, C. M. F. Angelae Minucucci sal. pl.

Superiore mense februario haud paucis negotiis districtus litteris tuis nihil responderam, quamquam memoria hoc humanitatis officium exsequendi ex animo numquam discesserat.

De mendis, in quibus typographi interdum labuntur, merito tu molestiam cepisti, et omnes, qui in scribendo perpetuo versamur, id aegerrime ferimus.

Superiore autem scripta tua, itemque quae nuper in *Voce Latina* vulgasti ac mihi benigne misisti, significant reconditam in animo tuo inesse facultatem latine et eleganter scribendi. Quam ob rem eniti debes —parcas velim, enixe suaserim— ut ex hoc dono, tibi e caelo impertito tuoque assiduo labore amplificato, copiosiores redantur fructus; cum praeterea in ea verseris civitate ubi tot tantique latinitatis cultores —ut ex praeclaro civitatis nomine eruitur— splendidissime floruerunt.

Nosti probe sincerum animum meum ex iis de quibus collocuti sumus cum in amicorum circulos et congressus latinitatis convenimus; neque ignoras extremis annis non tantum multorum concertationem veramque pugnam in linguam latinam exortam esse, sed etiam et plures eosque praestantissimos viros (nunc in mentem succurrunt Paoli, Brignoli, Paladini, Avenarius, Holzer, Tondini, Bacci...) —tamquam pugnacissimos milites vita suoque in litteris munere defunctos —e vivis discessisse. Qua re alii sufficiantur oportet qui rem nostram vehementi ac forti animo teneant ac defendant; in quorum numero tu adnumerari certo poteris atque alumnas vel alumnos in munere tuo docendi comparare et amicos in eandem rem perficiendam incitare. — In dies acies nostra —nisi et nos fortiter congregiamur— infirmior reddetur.

Quae de scriptiunculis nostris scribis grato accipio animo idque tantum desidero ut tibi aliisque utilia et commode ad latinitatem plenius percipiendam comparentur.

Ea autem quae de sorore tua narras vehementer doleo; eam in nostris cottidianis ad Deum precibus commemorabimus. Quid vero sit dolor plane non ignoro, cum cottidie aegrotantes infirmosque in

domo clinica, cujus nomen *Mater Dei* est, invisam eisque aliquod dolori et aegritudini levamen et in Christo Domino solacium afferam.

Nisi res me fugit his diebus pauca ad te misi scripta separatim edita, quae in *Palaestra* et *Vita Latina* nuper prodierunt. Spero fore ut ad te perveniant.

Plurimum vale.

Roma, die 2 m. martii a. 1972.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

ELECTRICA CORDIS VIS

E domitis electricis viribus homines multas commoditates et emolumenta percipere inter omnes satis constat. Tot instrumenta, machinamenta, utensilia ingeniose excogitata et mirabiliter exstructa electricidis ope acta, quae nobis summe necessaria sunt, quis enumerare poterit? Lux est electrica, quae hodie non aedes tantum et domus in urbibus, verum etiam tuguria et casulas in remotissimis pagis et vicis collustrat. Sunt electrica domus utensilia, quae mulierculis, domus suae reginis, ad cottidianum victum parandum maximo sunt usui, ut puta concisorium, scobina electrica, agitabulum manuale, osculorum tritabulum.

Telephonium vehementer saepe maledictum, at, si absit, eo vehementius desideratum electrica agitur vi. Agmen quoque vehicularium nostris hisce diebus non vaporata aqua plerumque concitatur, sed tractoria machina electricide acta hamaxostichum citato cursu propellit.

Item infantulus, ut extremum addam exemplum, si praemature e materno gremio editur, in incubatorio, ut vocant, electricidis ope temperato fovetur, donec adeo validus roboratusque evadat, ut vicissitudinibus hujus mundi exponi possit.

Vitam cottidianam, ut paucis dicam, sine electricide hac nostra aetate cogitatione vix fingere possumus, quippe qui eadem electricide jam inde ab incunabulis usquequaque circumdati simus.

Sed et in nobismetipsis, haud secus ac in cunctis animantibus terrae flumina semper decurrunt electrica, in omnibus nempe partibus, cum moventur et in actu sunt, ut physiologus Anglus, Gatton nomine, anno 1875 omnium primus ostendit.

Homo per ipsam suam corporalem condicionem non solum elementa mundi materialis in se colligit, sed et vires naturales quodam modo cohibet.

Inter maximas naturae potentias electrica vis est numeranda, quae fulminum specie manifestatur. Emicans fulmen repente delabens cum ingenti tonitruo per aera transcurrens immanium naturae virium praeclarus est testis, hominis parvitatem luculentissime demonstrans. Puncto temporis, quasi in ictu oculi, arbores caedit, aedes incendit, homines sternit. Hostilius rex, ut apud Livium legimus, fulmine ictus periit.

Ac mirum non est phaenomena talia olim hominibus, rebus naturalibus parum excultis, idololatriae deditis permagnum incussisse pavorem, fulmina daemoniorum instar expavisse aut regimen eorum

superorum numinibus adjudicavisse, ut apud Romanos erat, qui fulmina Jovis tela esse credebant. Aristoteles fulmen ex conflagratione vaporum oriri asserebat.

Duo fere elapsa sunt saecula, ex quo vera fulminum natura, electrica scilicet clarissimis demonstrata est experimentis. Et fluxus bioelectrici, quantulilibet sint, cum fulminum immanibus viribus concordant essentia, inanimatae naturae particula sunt habendi, quam in se continet homo.

Innumeri iique clarissimi doctissimique viri omnem tum operam tum oleum in eo contulerunt, ut et in hoc medicinae campo, qui ad electridem spectat, tunc patefacto, aliquid aegrotis utile et doctis commodum in medium proferre possent.

Vires istae electricae, licet in omnibus corporis membris sedulo indagate sint, in corde latissime et subtilissime investigabantur. Idque jure merito: cor enim, ut ait Vilelmus Harvey, anatomus ex Anglia oriundus, fundamentum est vitae, princeps omnium, microcosmi sol, a quo omnis vegetatio dependet, omnis vigor et robur emanat. Est quoque res in organo isto propter variarum musculosarum fibrarum ductum, rectum videlicet, transversum et obliquum enodatu quidem difficilior, utilitatum autem longe feracior. Vilelmus tandem Einthoven, Batavus, instrumentum primus construxit, electrocardiographium apte appellatum, ad usum clinicorum idoneum, cujus ope tensiones fluxus bioelectrici admodum tenues rite amplificando persensibiles reddi possunt. Ob hoc opus clare perpetratum anno 1924 praemio Nobeliano donatus est. Sic firma posuit et stabilia fundamenta, in quibus aliorum medicorum egregiorum studia insistebant et adhuc insistunt.

Non meum est fusius de anatomia et phylogia cordis disserere, sed nonnisi pauca quaedam ex tam vasta materia cursim attingere et maxima, qua potero, brevitate et perspicuitate explicare.

Res enim ita se habet: Systemate musculorum speciali cor praeditum est, quo motus et actiones moderantur, ita admirabiliter contexto, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius. Automatarium vocatur vel autonomon, quippe quod nervis non intercedentibus ex se ipso, suoque quasi nutu agatur. Omnis exstimulatio cordis ex atrio seu auriculo procedit in nodulo sinu-auriculari, quem vocant, oriens, et musculo fasciculo per septum carneum in parietes ventriculorum transmittitur ad motum cordis, qui est tensio quaedam ex omni parte secundum ductum fibrarum et constrictio undique.

Cor animalium, ut experimenta docent, a corpore exemptum pulsatur, immo partes suas divisas se contrahere et laxare vides.

Quae res magni momenti est ad definitionem mortis, quae haud ita pridem multum rettulit ad agendi rationem, cum transplantationes cordium peragi coeptae essent. Cor enim postulatur a chirurgo adhuc movens hominis subitanea morte perempti. Mors igitur ingruit, ut nunc intellegimus, si cerebrum plane et irreversibiliter de-

posuerit perfunctionem. Num cor palpitans fructui esse potest corpori, cerebri actione jam destituto?

Cordis excitatione decurrente electrici oriuntur fluxus, qui lineis undantur flexis seu reciprocis in electrocardiographico instrumento accuratissime innotescunt, ut parvum sit culmen, quod atriorum concitationi respondet et apex acuminatus ventriculorum actionem repraesentans.

Quibus inventionibus freti viri illustres studio et cupiditate incensi, quod occultum in re esset, in lucem proferendi, ad res difficiliores intellectu incumbabant. Progredientes quoque technicae artes in melius usque resecta instrumenta suppeditavere, quibus adhibitis non solum causas subtilius investigabantur, quae motum cordis exlegem reddunt, sed et ad acriorem intellegentiam morborum aliorum, qui concitationis decursum peculiari modo perturbant, facilius perventum est.

Haud igitur mirum, si electrocardiographica instrumenta plurimae feracia utilitatis in communi usu versantur eorumque administratio continuum habet progressum.

Multum etiam valebant, ut clarius maturius subtilius morbus ille gravissimus indagaretur, quem homines haud immerito maximopere formidant, infarctum dico myocardiis seu myomalaciam cordis. Nemo est, qui eat infitias perturbationes animi morbis corporis viam quasi sternere. Luctus et angor, pavor et metus cor ante omnia aegrum reddunt et ideo veteres a veritate non vehementer declinavere, qui animum in eo ipso collocatum esse autumaverunt. Nostris praesertim diebus, cum tam multis variisque laboribus agitur vita, homines multis sollicitationibus hujus mundi occupati, tot curis et aerumnis perturbati huic morbo longe crebrius sunt obnoxii. Nonne satis noti sunt viri mercaturas facientes, quadragesimum vel quinquagesimum plerumque aetatis agentes annum, qui ad censum abundantem quam citissime pervenire student? Commodis suis unice servientes negotiis sunt semper districti, nicotianarum fistularum fumum indesinenter hauriunt, raeda automataria immodica celeritate ad colloquia currunt, labores officiosos in multam noctem producunt, somnum obrepentem cafaei pocillis crebro repetitis depellere conantur, dolorem capitis medicamentis analgeticis suppressere satagunt. Tempore autem subsicivo, satis angusto, nescientes, quid animi relaxandi causa faciendum sit, in voluptates non raro se mergunt et rem familiarem avide congestam in cauponis et thermopoliis, ut de aliis locis sileam, dissipant.

Non pauci ex istis viris ex improvise non raro infarctu cordis impetuntur. Hujus morbi causa est occlusio rami arteriae coronalis sanguinis coagulo seu thrombo, ut medici dicunt, quo fit, ut area circumscripta myocardiis vegetamine destituto intereat. Quae area, necrotica apte vocatur, quasi mortua virtutem electricam illicet amittit et exinde sucinei fluminis decursus per totum cor peculiari modo

immutatur seu deflectitur, ut ex ipsis deviationibus distingui possit infarctûs situs magnitiesque.

Miserabilis aegroti adspectus: dolor atrocissimus infelicem dilacerat, qui in imo pectore sentitur, haud raro in brachium manumve sinistram propagatur. Maxima inquietitudine turbatus aeger non in eodem loco semper jacet, sed in lectulo volvitur indesinenter. Sudor egelidus defluit fronte et timorem mortis in facie veluti insculptum videmus.

Et quoniam morbi non apte curantur, nisi rite praecogniti fuerint, medicus et in hoc salutis discrimine prudenti adhibito iudicio explicare studet, quatenus natura sit morbi, quidque sit optimum factu. Aegroti sedulo inspecto ante omnia electrocardiogramma in auxilium vocat. Interdum hac via et ratione facile et primo veluti obtutu morbus dignoscitur. Non raro tamen fallacibus morbo notis cognitio multis est obstructa difficultatibus. Tunc natura chimica sanguinis examinanda est aliaeque investigationes adhibendae sunt, quae ad profundiorum intelligentiam infirmitatis opem ferunt. Deinde nature scienterque remedia administranda sunt, quae medicorum ars excogitaverat, ut infirmus, si fieri potest, sanationem plenam consequatur.

Ad divinam benignitatem accedit medici beneficium, hominem jam inferis destinatum ingenio et cura sua ex ipsis mortis faucibus retrahentis. Tunc, quasi vitae redditum maritum excipiet uxor, filius patrem.

Quo libentius prosperum curationis eventum perpendimus, eo magis nobis dolendum est, quod infirmi nonnulli tam gravi aegre afflictis, viribus morbi victoris oppressi in ipso flore aetatis morte absumuntur. Frustra medicorum contentiones fuere, nequiquam tot medicamenta valida alias et efficacia aut per os ingesta sunt aut sub cutem injecta aut in venas infusa, in vanum spirabilis insufflatus est aer.

Inter summe admiranda prodigia artis technicae praeclarum obtinent locum machinamenta, quibus cor variis morbis debilitatum et paene iners exstimulatur. Optime quidem provisum est a natura perfecta et divina, ut deficiente centro excitationis primario, nodo scilicet sino-auriculari, ut supra innuimus, aliud exsuscitetur, quod atrioventriculare vocant. Sin autem, ut laesiones fasciculi ex arteriarum sclerosi earumve obturamento, causae obstant et impediunt, quominus exstimulatio rite coorta in cordis ventriculum propageatur, ex ipso ventriculo cor ad motus et pulsus concitatur, qui tamen adeo tardi lentique sunt, ut cottidianae vitae consuetudini haud sufficient. Quae intercapedo, sive permanens est, sive ad tempus tantum cordis rhythmum perturbat, serius citius vitalibus haud mediocre conferet damnum; fieri quoque potest, ut stimulatio e pluribus locis simul oriatur, et harmonia actionis omnino avulsa, modo lente admodum rarisque ictibus pulsatur, quin immo tempus sit, quo motu

prorsus destituatur, modo palpitetur citissime. Sic sanguinis circulatio valde retardatur, et ideo vitalia organa oxygenio haud satis imbuuntur, quod cerebrum in primis aegre fert. Torpor et nausea, convulsiones et spasmata, tardi spiritus ductus hunc aegrorem indicant, praelibationem quasi mortis.

In his similibusque casibus, antequam damnis irremedialibus corpus totum mancipetur, mortem ingruentem instrumento electrico cordi exstimulando depellere et vitam jam paene oppressam revocare valemus. Haec machinula affabre concinnata, cujus dos haud parvi est habenda, electricarum pilarum serie constat, quae vim largiuntur, dein motatore, qui consulit actioni necnon et exstimulatoria compagine. Electroductus denique est, flumen in cor deducens, quae in dextro cordis ventriculo prope apicem defixa est. Quoniam quidem non admodum raro contingit, ut instrumento exstimulatorio implantato transmissio redintegretur naturalis, ingeniose cautum est, ut incitationes artificiales supprimantur, simulac cor sua sponte satis velociter palpitat, excitationum aemulatione prorsus vitata.

Haud exiguus est numerus aegrorum, qui jam debiti erant destinatique morti, hac ratione in dies magis convalescunt et viribus vix illibatis, quod reliquum est vitae, placide et tranquille transigunt. Immo sunt, qui officii sui partes plane implent, sunt, qui corpus suum exercent. Medicus cardiologus Coloniensis mentionem facit viri cujusdam LVIII annos nati, qui in pugilatu certabat. Progressum est quidem longius: cor, si ex immodica stimulatione, quam pulsibus sequi non valet, non jam palpitat sed tremulat tantum, instrumento sedatur electrico et ad motum justum reducitur.

Aliae sunt machinae ad reanimationem, ut aiunt, aptae, quia anima in corpore quasi sepulta suscitatur seu certe jam migratura retinetur. De his omnibus, necnon et de quaestionibus, quas transplantatio cordis secumfert, non amplius dicere mihi in animo est. Commemorare tamen ea volui, ne quid lector praetermissum aut relictum putet.

Multa licet, eaque praeclara inventa sint et excogitata, immensam bonorum materiam continentia, sed immo numerosiores quaestiones in hac latissima provincia sunt persolvendae. Credo equidem viros numquam esse defuturos, qui rebus hucusque inventis et scrutatis freti diligentissimam suam conferent pervestigationem ad aperienda naturae mysteria, quae adhuc sub cortice latent. Nam inter multa et varia artium studia, quibus hominum ingenia vegetantur, id haud infimum obtinet locum, quod secreta mundi, quatenus id a Deo rationi humanae permissum est, inquirat et his qui in eo omnibus nervis incubuerint decus et gloriam est conciliaturum et universo mortalium generi non mediocrem utilitatem est allaturum.

Si valetudinis curandas disciplinam ad altiorem statum evehere conamur, medicinae tirones, ut liquet, biologia et rerum naturalium doctrina ornentur, ne forte cum Cicerone nobis fatendum sit: «Cor-

pora nostra non novimus, qui sit situs partium, quam vim quaeque pars habeat, ignoramus» (Cic. Acad. II, 122). Cum autem automatariae rationes in medicinam quoque inductae sint, omnibus quoque doctrinis expoliantur oportet quae ad physicam chimiamque, ad mathematicam artem, ad inquisitiones de atomi compositione pertinent.

Attamen falluntur vehementer, qui posthabitis aut neglectis his, quae naturales excedunt terminos, problemata solvi posse arbitrantur, quae in his rerum adjunctis medicinae sunt propria. Eruditionis ratio, quadmodum hodie ubique fere viget, materialismi qui audit innixa fulciminibus, qui ea tantum vera amplectitur, quae doctrinae naturales probaverant, ethicis et moralibus omnino spretis momentis et haec mundana sine ullo rectore incertis fortuna casibus agitari existimantis, idiotam creat sua doctrina plenum atque refertum, biomachinarium, ut ita dicam, inhumanum, aegrotis curae ejus conceditis periculum potius quam subsidium.

Homo enim non totus ex carne constat et ossibus, non chemicis tantum et electricis moderatur processibus, sed constat, et immo maxime constat ex mente et animo, ex ratione et libertate. Item ordinatur ad Deum, a quo recepit vitam et animam, sicut ad quendam finem qui comprehensionem rationis excedit.

Maxime ergo consentaneum est, ut medicinae alumni jam inde a studiorum exordiis non solum philosophicis et religiosis disciplinis, non solum de re sociali doctrinis imbuantur, sed et ad historiam et liberales artes necesse est, ut instituantur. Sic mentis sollertia acuuntur et judicandi potestas, sic recte cognoscuntur, quae vera et justa, pulchra et nobilia sunt. Medicus ita eruditus vere doctus est et aptus invenietur ad omnes quaestiones sociales et ethicas dissolvendas, quas convictus humanus secumfert. Mundus hujus temporis caritatis ardorem desiderans medicum sane postulat, qui erga aegrotos sibi commissos, quibusque ex justitia succurrere debet, casta et paene divina caritate flagrat.

Per perseverantiam in studiis honestis homo mortalis acquirere potest perspicentiam veri, quae tramitem demonstrat ad vitam bonam et vere felicem. Immo divinae Sapientiae, omnium cognitionum fonti et origini eum facit appropinquare. Tantum autem abest, ut eam attingat, nam sapientia nostra, ut S. Augustinus in suis Confessionibus dicit, comparata divina ignorantia est.

Prof. GUSTAVUS WALLNER
Hansi Niese - Gasse 3
A - 1190 WIEN (Vindobonae)

BIBLIOGRAPHIA

L'ERMA DI BRETSCHNEIDER. — *Bibliografia di storia antica e diritto romano*. Ed. "L'Erma" di Bretschneider, Roma, 1971. Pag. 258. L. 3.000.

Moderatores Domus Librariae, quae "L'Erma" inscribitur, studiosis magno voluerunt esse emolumento hoc volumine quo per ampla recensque continetur bibliographia ad historiam veterem et jus romanum quod attinet. Tres partes opus habet: I. Bibliographia ad historiam antiquam spectans; II. Bibliographia ad jus romanum attinens; III. Opera a Domo Libraria "L'Erma" in lucem edita. Ad indolem hujus bibliographiae quod attinet, compertum eam habemus illa tantum et in primis continere opera monographica, quae dicimus, ad historiam rei publicae graecae ac romanae, tardioris quoque romanae, juris antiqui spectantia. Historia enim Ecclesiastica, religio, mythologia, nummorum doctrina, medicina, instituta ceteraque consulto praetermissa sunt, cum locus eisdem asservetur in alio volumine eidem officina libraria edendo.

CALLU, J. P. — *Symmaque, Lettres, tome I (livres I-II)*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1972. Pag. 240. F. 40,00.

Nemo est qui Symmachum ignoret a paucissimis litterarum latinarum studiosis legi. Etsi non in principibus scriptoribus adnumeretur, non est cur in umbra memoriam ejus relinquamus, praesertim cum non nihil momenti habeat sive ad res politicas et historicas sive ad litteras aetatis tardioris imperii cognoscendas. Salvere ergo jubemus Prof. P. Callu qui hanc Symmachi paravit editionem, quoniam praeter introductionem scitissimam, ubi latini scriptoris vitam per cursus honorum in

re publica describit, institutorum majorum acerrimum vindicat propugnatorem, ejus opera (orationes, relationes, litteras) memorat dicendique genus, litterarum in primis varia pertractat argumenta earumque editiones codicesque praecipuos recognoscit, selecta hodiernaque bibliographia praemissa, textum Symmachi castigata interpretatione francogallica instruit cum brevi accuratoque apparatu critico; quam interpretationem eo majoris meriti aestimetur oportet quo prima forsitan sit versio quodam modo cunctarum epistularum quarum antea in lingua francogallica fragmenta tantum essent conversa. Symmachi dicendi genus difficile ne studiosos litterarum ab ejus epistulis legendis deterreat, ubi tot notitias easque maximi momenti invenient ad linguam, historiam litterariam, ad pugnam inter ethnicos et christianos, ad rem publicam ceteraque quod spectat.

ANDRE, J. — *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XXIII*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1971. Pag. 138. F. 25,00.

Prof. J. André librum XXIII Historiae Naturalis Plinii introductione praemunit, in qua de consilio auctoris in hoc libro conscribendo diserte agit, quo modo Plinius, peracta cerealium natura, vineam ac vina, olivam et olea, reliquasque arbores quae coluntur describendas aggrediatur. De unaquaque arbore per multa quoque Plinius pertractat sive ad earum genera sive ad medendi desideria quod spectat, fontibus accuratissime memoratis. Deinde Prof. J. André de textus pliniani traditione breviter agit tabulamque seu indicem materiarum praebet totius libri XXIII. Introductionem textus insequitur latinus vernacula versione instructus, addito etiam ad pagi-

narum calcem apparatu critico quo aliae lectiones praecipuorum codicum exhibentur. Denique, ut mos est apud hujus corporis editores, commentarium prostat ad ea quae majore indigent explicatione illustranda.

JAL, P. — *Tite-Live, Histoire Romaine, t. XXXI, livres XLI-XLII*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1971. Pag. XCII-236. F. 35,00.

Nobis in primis scitissima arridet introductio, ubi Prof. Paulus Jal, qui Titi Livii libros XLI et XLII edendos curavit, de rebus maximi momenti livianis summa eruditione argumentorumque auctoritate agit: de *decade quinta* scilicet quae vulgo dicitur, de Libro XLI, de libro deinde XLII, de utriusque libri fontibus, de quaestionibus chronologicis quibus uterque liber implicatur, de genere dicendi liviano in hujus modi libris, de Perseos ingenio ac natura, quod iudicium T. Livius habuerit de romanis in tertio bello in Macedoniam inferendo, de manu scripti textus liviani traditione, de conspectu siglorum quo tandem introductio explicat. Peracto prooemio textus apparet latinus interpretatione francogallica exornatus apparatuque critico in unaquaque pagina latina instructus. Ad textum magis illustrandum in fine operis prostat commentarium notarum additiciarum quibus praecipui Livii loci explanantur. Opus profecto omnibus commendandum.

SERBAT, G. — *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XXXI*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1972. Pag. 194. F. 30,00.

Ad XXXI Plinii librum Historiae Naturalis quod attinet, Prof. G. Serbat in editionis hujus introductione certiores nos facit de rebus quae in eo constant quaeque in libro quasi in quatuor partes distribuuntur: I. Aquarum

genera earumque remedia medicina (4-72); II. De salis generibus et confecturis et medicinis observationes CCIII (73-105); III. De nitri generibus et confecturis et medicinis observationes CCXXI (106-122); IV. De spongiis. Medicinae et observationes XCII (123-131). Liber Plinii, praeter introductionem, a Prof. G. Serbat accuratissima interpretatione francogallica criticoque, ut reliqua hujus corporis exempla, instruitur cum commentariis praecipuorum locorum et indice nominum et rerum in extremo volumine.

ZIEGLER, K. - SONTHEIMER, W. — *Der Kleine Pauly, Lexicon der Antike, Lieferung 21* (Phoenix - Praxinos thalasa). Ed. Alfred Druckenmüller Verlag in Stuttgart, 1971. Col. 801-1120. DM 20.

Optimis ominibus suscipere novum solemus volumen hujus corporis seu lexici cujus fasciculi, mira incoepti perseverantia, edi pergunt. Faxit Deus ut confestim seriei demum fasciculorum finis imponatur ut studiosi, quos desiderant fructus, opere jam expleto, percipiant. Quae retractantur et in diem recentemque usum rediguntur perplacent plane omnia; sed in primis ex auctoritate argumentorum haec verba quae fusius explanantur notanda aestimamus: *Photios, Phryger, Phrynichos, Physis, Pindaros, Planeten, Platon, Plautius, Plautus, Plebiscita, Plinius, Plotinos, Plutarchos, Polemon, Poliorchetik, Polybios, Polykleitos, Pompea, Pompeii, Pompeius, Pontifex, Porphyrios, Poseidon, Poseidonios, Postumius, Praefectus*.

SAINT-DENIS, E. DE. — *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XXXVII*. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1972. Pag. 198. F. 30,00.

Aggrediamur in praesens librum Plinii XXXVII iudicio critico recensentem

dum a Prof. E. de Saint-Denis ad pre-
lum praeparatum. Si introductionis ar-
gumentum scire velis, en tibi indicem
habes rerum illarum quas auctor per-
tractat: I. Quae in libro XXXVII con-
tineantur quoque pacto conscripta sint;
II. Scientificum libri momentum; III.
Ejus virtus meritumque in litteris la-
tinis; IV. Gemmarum recognitio; V.
Textus latinus ejusque per codices tra-
ditio. Si tua interest gemmas earumque
genera cognoscere, librum Plinii His-
toriae Naturalis XXXVII libenter adi,
ubi mira de origine, natura et generi-
bus gemmarum invenies, adeo ut ipse
mireris quot jam apud antiquos de hu-
jus modi rebus essent cognoscere.
Opus, ut superiora, castigata ornatur
interpretatione francogallica textumque
latinum offert apparatus critico instruc-
tum, commentaria non nullorum loco-
rum et indicem nominum rerumque
quo finitur volumen.

NACHSTÄDT, W. - SIEVEKING, W. —
TITCHENER, J. B.. — *Plutarchi Mo-
ralia*, vol. II. Ed. Teubner Verlags-
gesellschaft, Leipzig, 1971. Pag.
XXXII-384.

HUBERT, C. — *Plutarchi Moralia*, vol.
IV. Ed. Teubner Verlagsgesellschaft,
Leipzig, 1971. Pag. XXVI-405.

Bibliotheca scriptorum graecorum et
romanorum Teubneriana novis his vo-
luminibus augetur quibus Plutarchi
Moralia legentibus offeruntur. Venia-
mus igitur ad volumen II, ubi haec
colliguntur a clm. viris in re peritissi-
mis W. Nachstädt, W. Sieveking, J. B.
Titchener recensita atque emendata:
Regum et imperatorum apophthegma-
ta, Apophthegmata Laconica, Instituta
Laconica quae dicuntur, Apophtheg-
mata Lacaenarum, Mulierum virtutes,
Aetia Romana, Aetia Graeca, Parallela
minora, De fortuna Romanorum, De

Alexandri Magni fortuna aut virtute
oratio I et II, De gloria Atheniensium,
De Iside et Osiride.

Alterum volumen quod C. Hubert
recensuit et emendavit Plutarchi quo-
que Moralia continet, quorum indices
sunt: Quaestiones Convivales, Amato-
rius, Amatoriae narrationes. Laudandae
sane sunt praefationes singulae quae
duobus respondent voluminibus, ubi
peritissimi viri qui hanc editionem cu-
raverunt disertissime agunt de textus
in primis plutarchiani codicibus et tra-
ditione, cum hoc corpus Teubnerianum
praesertim, quod neminem latet, tan-
quam opus criticum sit habendum. Ta-
bulae ergo adhibentur praecipuorum
codicum, editiones quoque et notae cri-
ticae et commentationes memorantur.
Praeter apparatus criticum qui accu-
ratissimus selectissimusque videtur, auc-
toribus id merito tribuimus quod anno-
tatiunculas in capite cujusque tracta-
tus apposuerunt, quibus Plutarchi
scriptum jure prudenterque aestimatur
atque ponderatur in iis praesertim quae
ad originem seu fontem, ad indolem et
naturam, ad alios scriptores qui eis pos-
tea usi sunt, ad omnem demum cum
Plutarcho necessitudinem spectant.

DOWNEY, G. - NORMAN, A. F. —
Themistii orationes quae supersunt,
vol. II. Ed. Teubner Verlagsgesells-
chaft, Leipzig, 1971. Pag. XII-241.

Quindecim posteriores Themistii
orationes eduntur in hoc volumine,
cum antea jam priores alio volumine
sint vulgatae. Textus hujus editionis
fere totus confectus est ex scriptis Hen-
rici Schenk!; postea clmus. vir Glan-
ville Downey omnia recensuit; sed cum
primo volumine vix in lucem prodito,
propter gravissimum oculorum morbum
editionem persolvere nequiret totam,
Prof. A. F. Norman omnia retractare
coactus est recensionem illam Dow-
neianam de integro pertractans. Hac

igitur editione, ubi Themistii textus graecus accuratissime a Prof. A. F. Norman emendatus apparatu critico instruitur, Themistianae orationes nobis proponuntur. Si tua interest, oculis lustrare licet argumenta quae a Themistio rhetore attinguntur: Epitaphius Eugenii patris Themistii (or. 20); certa indicia ac notae quibus verus philosophus a sophista discernatur (or. 21); quomodo ineunda atque conservanda sit inter homines amicitia (or. 22); philosophiae cum eloquentiae lepore ac venustate consortium esse demonstrat Themistius (or. 24); artium disciplinae in hominibus, non in locis quaerendae sunt (or. 27); philosophorum quorundam austeritatem ac paene rusticitatem Themistius increpat (or. 28); agriculturae opera laudantur atque commendantur (or. 30); in regendis et moderandis animi affectibus admirabilem philosophiae vim declarat orator (or. 32); doctrina sincera studioso bona fortunae et vitam beatam affert (or. 33).

BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittelteu-
teinisches Wörterbuch*. Ed. C. H.
Beck'sche Verlagsbuchhandlung,
München, 1971. II Band. Lieferung
4 (14 Lieferung des Gesamtwerkes).
Col. 181-640 (*cereus-cirrus*).

Bavarica Academia novo fasciculo lexicon latinitatis mediæ aevi amplificavit. Utinam alii quamprimum in lucem prodeant fasciculi qui tantae utilitati erunt iis qui latinis litteris mediaevalibus navant operam. Ut superiores fasciculi hic eandem rationem atque vestem, ut ita dicam, prae se fert, ut jure meritoque tanquam lexicon absolute perfectum existimemus. Vocum explanatio atque conscriptio latina cujuslibet linguae studiosis magnopere adjuvamentum feret. Quamquam omnia vocabula apprime accurateque sunt tractata, nobis tamen quasi memorare tantum liceat quae notatu digna obiter visa sunt: *cerno*, *certamen*, *certifico*,

certus, *cervisia*, *cesso*, *character*, *charta*, *chartula*, *chirographum*, *chorus*, *chrisma*, *christianitas*, *christianus*, *cibus*, *cinis*, *circuitus*, *circulus*, *circumdo*, ceteraque. Unumquodque vocabulum ejusque variae significationes locis scriptorum mediaevalium illustrantur atque confirmantur.

PARECCHI AUTORI. — *Fons Perennis*.
Saggi critici di Filologia Classica
raccolti in onore del Prof. Vittorio
D'Agostino. Ed. "Rivista di Studi
Classici", Torino, 1972. Pag. 484. L.
11500.

Septuagesimo anniversario diei natalis recurrente hoc volumen in lucem prodiit in laudem atque memoriam clmi. Prof. V. D'Agostino, indefessi litterarum latinarum cultoris deque eis bene meriti. In latinitate enim et colenda et tradenda eximius semper existit magister atque exemplum. Quidni ad tantum virum celebrandum hoc disputationum selectissimarum corpus seu corona qua ejus merita jure redimirentur? Volumen suavissima Prof. V. D'Agostino imagine luce impressa initur, curriculo ejus vitae et praecipuorum scriptorum operumque indice insequentibus. Inter scripta in lucem edita interpretationes e lingua germanica, graeca, latina adnumerantur; multa prodidit ad rem grammaticam spectantia; disputationes quoque et scriptorum classicorum commentaria quamplurima nec non disputationes demum in plurimis commentariis periodicis memorantur. Quam ad curam in litteris latinis a clmo. Professore collatam recolendam egregii quoque viri atque amici disputationum quasi sertum collegerunt, quarum ut earum tantum auctoritatem perpendas, en tibi quae sequuntur argumenta: I. ALFONSI, *Sul mito di Ercole e Caco in Properzio*; A. ARENA, *I frammenti di Saffo*; R. ARGENIO, *Rettorica e mitologia nelle poesie ovidiane dell'esilio*; G. CASTELLI, *L'ideali della vita agreste en Georg. II*, 458-452; T.

CIRESOLA, *Alceo e Orazio*; L. DAL SANTO, *L'elegia latina del Pascoli a L. Michelangeli e i frammenti di Stesicoro*; S. LEVIN, "Know Thyself": *Inner Compulsions Uncovered by Oracles*; G. MARTANO, *Sul "enantiodromia" eraclitea*; A. MENZIONE, *Alla ricerca delle voci più "attuali" nel mondo poetico de Orazio*; M. C. MITTELSTADT, *Love, Eros, and Poetic Art in Longus*; G. SCHMELING, *The "Exclusus Amator" Motif in Petronius*; S. STICCA, *Hrotswitha's "Abraham" and exegetical tradition*; D. SUTTON FERRIN, *Aeschylus "Edonians"*; F. TRISOGLIO, *L'elemento meditativo nell'epistolario di Plinio il giovane*; R. VERDIERE, *La légende de la mutation sexuelle chez l'hyène est-elle d'origine est-africaine?* Palaestra Latina proprii hortuli huic laudum coronae flosculos annectere studet in memoriam tanti professoris qui et paginas nostrorum commentariorum scriptis quoque suis honestavit.

VAGLIA, U. — *Ludovico Calini* (1696-1782). Ed. Ateneo di Brescia, 1971. Pag. 150.

Hoc libro Cardinalis Ludovici Calini vita describitur; id sibi proposuit auctor qui coram deducere nititur clarissimum civem brixianum per notitias in primis et documenta quibus nondum alii biographi vel tantummodo ex parte usi sunt. Tanti viri effigies, quamvis non integra, quasi adumbrata tamen apparebit ita ut aetas in qua vixit ejusque historica adjuncta saec. XVIII societatis brixianae, quam fideliter fieri potest, revocentur, ut amplius historia praesertim Ecclesiae brixianae investigatoribus innotescat.

CLAUSSE, A. — *La littérature latine par les textes*. Maison d'Édition A. de Boeck, Bruxelles, 1969. Pag. 272.

Mentem auctoris in libro exarando expromamus; ut ex ipsius in prooemio verbis patet, hoc sibi plane proposuit

alumnis scilicet commodare historiam quandam sensorum et cogitatorum antiquitatis classicae quae optimorum scriptorum textibus illustrarentur. Quam ob rem Prof. A. Clausse documenta illa collegit quae magnopere alumnorum cognoscere interest, ita autem ut juvenum sentiendi facultas, vis critica eorumque de rebus moralibus aestimandis iudicium illustraretur atque amplificaretur. Quem ad finem historiam litterarum latinarum in sex quasi aetates auctor dispertitur et praefatione de lingua latina ejusque praecipuis notis seu proprietatibus peracta, unamquamque aetatem explanat ope documentorum litterariorum; itaque alumni quasi perlustrare facile possunt aetatem quae hellenismum antecedit, aetatem hellenicam, aetatem Ciceronis, aetatem Augusti, aetatem Imperatorum, aetatem christianam, quarum praecipui optimique scriptores per propria scripta revocantur.

CANTARELLA, R. - SCARPAT, G. — *Breve introduzione ad Omero*. Società Editrice Dante Alighieri, Milano, 1971. Pag. 272. L. 1400.

Haec editio octies in lucem jam prolata opus clarissimorum Prof. R. Cantarella et G. Scarpata jure commendat. Cum juvenes, qui linguam graecam in gymnasium praesertim atticam didicerunt non nullumque scriptorem solutae orationis salutarunt, repente in lyceo poesim linguamque Homeri aggrediantur, magna cooritur difficultas; quapropter clmi. Prof. hanc "*Brevem introductionem ad Homerum*" exararunt, quam in duas partes diviserunt. In prima parte, quam R. Cantarella conscripsit (IL PROBLEMA STORICO-LETTERARIO), de poesi, de quaestione homerica, de historia externa poematis cum appendicibus de formula et poesi apud Homerum, de Homeri in Occidente auctoritate deque homerologiae originibus diserte agitur. In altera parte quam exaravit J. Scarpata, lingua homerica in-

vestigatur atque exponitur in iis in primis quae ad indolem artificiosam linguae epicae, ad versum epicum, ad syllabas longiores producendas, ad necessitatem metricam, ad formulas comparandas, ad structuram linguisticam, ad regularum prosodiarum cognitionem spectat. In extremo opere breviter attinguntur de vocalismo et consonantismo non nulla, de morphologia nominum, adjectivorum, pronominum, verborum, de usu verbi ejusque apud Homerum significatione, cum indicibus praecipuorum operum, rerum notabilium, vocabulorum graecorum, locorum memoratorum, indice analytico.

VOLLARO, S. - MONTI, V. — *Aulo Persio Flacco: Le Satire*. Ed. Giulio Einaudi, Torino, 1971. Pag. XXI-130. L. 3000.

Persius plerumque ignotus et umbratilis quam plurimis exstat poeta; qui tamen eum adire audent lectores hodie, quandam in eo fascinationem non possunt non invenire. Qui "scriptitavit et raro et tarde" sese consulto exercuit in simplicissimis rebus quam qui maxime inusitato, contorto, non trito modo conscribendis. Unde quis vernacule interpretari audeat Persium? Merito profecto tribuimus Prof. S. Vòllaro quod tam arduum suscepit opus idque feliciter absolverit. Interpretatio namque italica nobis plane aridet, eo magis quod tantis totque Persius obruatur difficultatibus. Non tantum, quod sibi proposuit, est assecutus interpres: eosdem fere numero versus quam latinos vernacule pangere, sed, quod difficilius videtur, spiritum Persii eundem poeticum quasi conservare qui adeo ironia, parodia, tristitia, timore, elegia scaterere solebat. Praeter interpretationem interpres illis tantum annotationibus textum illustravit quae sibi necessarie viderentur. Huc addere quoque voluit interpretationem et commentaria V. Monti, classicarum litterarum clmi. elapso saeculo cultoris,

ut, qui legerint, percipiant quo pacto olim Persius interpretatione donatus sit atque illustratus.

BLANCO, V. - CAMPOS, J. — *Santos Padres Españoles: San Ildefonso de Toledo*. (La virginidad perpetua de Santa María. El conocimiento del bautismo, El camino del desierto). Vol. I. Ed. crítica bilingüe. Biblioteca de Autores Cristianos. Ed. Católica, Madrid, 1971. Pág. XXIV-436.

CAMPOS, J. - ROCA, I. — *Santos Padres Españoles: San Leandro, San Fructuoso, San Isidoro*. Vol. II. Ed. crítica bilingüe. Biblioteca de Autores Cristianos. Ed. Católica, Madrid, 1971. Pág. 545. Precio conjunto de los dos vols. 400 ptas.

Bibliotheca Auctorum Christianorum (BAC) quae Etimologias Sancti Isidori et opera Prodentii olim in lucem protulit, his novis voluminibus locupletatur, quae Sanctis Patribus Hispanis dedicantur. Quod ad primum attinet, Sancti Ildephonsi Toletani opera eduntur: "*De virginitate perpetuo Sanctae Mariae*", quod scriptum introductione, interpretatione, commentariis, notulis a V. Blanco García Caesaraugustae in Universitate Prof. litterarum latinarum. Merito Prof. caesaraugustano est tribuendum quod praeter Migne editionem quae tribus tantum quamvis praecipuis codicibus innititur, viginti quattuor codices praeterea usurpavit e quibus traditio manu scriptorum hujus operis constat. In introductione Prof. V. Blanco García de vita Sancti Ildephonsi, de ejus dicendi genere, de ejus scriptis non nulla affert; sed in primis in codices incumbit describendos ut textum tandem stabilire liceat. Textu latino cum apparatu critico et interpretatione hispanica absoluto, aliqui loci explicantur, de tractatus divulgatione agit Prof. V. Blanco, editiones memorat atque interpretationes; in se-

cunda parte annotationes seu observationes phoneticae et morphologicae, syntacticae, lexicographicae, stilisticae, proferuntur. Reliquam voluminis partem Prof. in Universitate Salmanticenti Portificia J. Campos exaravit "De cognitione baptismi"; quod Sancti Ildephonsi scriptum aequae introductione, versione hispanica notulisque instruitur; in prooemio Prof. J. Campos de argumento, de tempore quo scriptum est, de fontibus, de textus traditione, de editionibus et bibliographia diserte agit. Postea liber II insequitur qui "De itinere deserti" inscribitur quique ab eodem Prof. Salmanticensi eodemque modo tractatur. Uterque Sancti Ildephonsi Toletani tractatus fons exstat maximi momenti historici ac dogmatici ad cognoscendam Ecclesiam hispanogoticorum in iis quae ad christianam fidei saec. VII initiationem attinet. Interpretationes Prof. V. Blanco et J. Campos eo quod accuratissime sint exaratae omnibus criticis probabuntur.

Vol. II Sanctis Patribus Hispanis quoque dicatum monachatu hispanico destinatur; in eo enim Prof. J. Campos "Regulam Sancti Leandri", "Regulam Sancti Patris Isidori Episcopi", "Regulam Sancti Fructuosi", "Regulam Communem", "Pactum" itidem singulis introductionibus, versionibus, notulis illustrat. Quorum opusculorum ope videre licet quantum viguerit atque floruerit in Hispania saec. VI et VII vita monachorum spiritualis. Altera voluminis parte Prof. I. Roca Meliá Sancti Isidori Hispalensis Episcopi "Sententiarum" libros tres item pertractat introductione, versione notulisque eos explanando. In introductione sententia definitur, argumenta sententiarum significantur eorumque fontes cum genere dicendi, textu et interpretatione. Liber I Sententiarum summam quamdam dogmaticam constituit; liber II morum vitaeque privatae compendium videtur, dum liber III prae se fert sensum quendam socialem. Utrumque volumen uti-

lius redditur indicibus scilicet nominum propriorum quae in introductionibus et in disputationibus memorantur, locorum biblicorum, nominum propriorum notabiliumque argumentorum ac rerum quae in textibus duorum voluminum inveniuntur.

RANSTRAND, G. — *Pomponii Melae De Chronologia libri tres*. Ed. Acta Universitatis Gothoburgensis, Almqvist et Wiksell, Stockholm, 1971.

Brevi praefatione peracta, ubi de operis textu in primis ejusque historia et descriptione critica ratione ac via disputatur, Pomponii Melae De Chronologia libri tres insequuntur, apparatu critico, ut hujus modi editiones expostulant, instructi. Ubi libri tres sunt expliciti, lector indicem inveniet per utilem operis Melae cuncta verba complectentem. Hujus editionis ope, si tua interest, Pomponium Melam orbem peragrantem sequi tibi licebit; ad manus enim habes primum textum geographiae orbis antiqui ad usum romanorum, perspicua brevitate et maxima diligentia conscriptum; quae descriptio prima orbis antiqui ex graecis scriptoribus deprompta, multis animadversionibus et notis locupletata est ab auctore qui praeclaras notitias locorum, populorum eorumque morum atque institutorum nobis tradidit per plagas mediterraneas quasi periplum, graecorum more, conficiendo.

GRILLI, A. — *I proemii del "De re publica" di Cicerone*. Paideia Editrice, Brescia, 1971. Pag. 252. L. 4000.

Praecipuas, quae prooemiis "De re publica" Ciceronis includuntur, quaestiones Prof. A. Grilli et proponit et explicat hoc volumine, cuius indicem en habent lectores: *Introduzione* (9), *Il proemio del primo libro* (15), *Virtus in usu sui* (27), *In angulis* (49), *Cicerone*

e *Temistio sull'antica filosofia* (71), *Cicerone e la "querelle" sui βίαι* (89), *Cicerone e Antioco* (103), *Replica agli avversari* (119), *Natura noverca* (139), *La posizione d'Antioco* (163), *Laudes philosophiae* (179), *La sintesi dei βίαι* (201), *Conclusionem* (225), *Indice dei nomi e dei passi* (233), *Indice dei termini* (242), *Bibliografia frequentemente citata* (249), *Indice generale* (251). Investigatio prooemiorum "De re publica", sive quod ad argumentum, sive quod ad conscriptionem spectat, magno opere Prof. A. Grilli allicit, qui tota lucubratione sua disertissima manifeste ostendit quanta in Cicerone fuerit institutio et cultus philosophicus quibus princeps oratorum romanorum privatas rei publicae conceptiones exstruxerat.

PERONI, R. — *L'età del bronzo nella penisola italiana*. Vol. I. L'antica età del bronzo. Ed. Leo S. Olschki, Firenze, 1971. Pag. 372. L. 9.000.

Laundandum sane opus Prof. R. Peroni qui hoc volumine I antiquam aetatem aeneam quam vulgo dicimus investigare contendit in paeninsula italiana. Investigationem auctor circumscribit intra non nullas Italiae regiones in quibus plura documenta archaeologica ad aetatem aeneam spectantia apparuerunt; itaque septem selegit locos quos nominibus ipsis italicis memorare licet: 1. *Polada*, 2. *Asciano*, 3. *Rinaldone*, 4. *Montemerano*, *Scoglietto*, *Palidoro*, 5. *Ripatransone*, 6. *Gaudo*, 7. *Laterza*, *Parco dei Monaci*, *Cotronei*. Prof. R. Peroni in unoquoque loco vel nucleo locorum investigando eadem utitur ratione ac via. Primum quaestiones archaeologicas aggreditur quae e fontibus (aedificia dicimus, aera, vasa fictilia, res in ossibus, cornibus, lignis, lapidibus conformatis) oriuntur, ut statim chronologiam, peculiares proprietates, fines territoriales documentorum archae-

ologicorum describat. Deinde vitam incolarum revocare contendit primas industrias, artes, commercium, societatem humanam, instituta ac mores, arma, funera, sensa et cogitata ad societatem, religionemque spectantia e tenebris ac temporibus quasi effodiens. Denique auctor prospectus quosdam historicos habet traditionem, homines qui primas partes in illis regionibus egerunt eorumque hereditatem recolendo.

MARIOTTI, D. — *Roma Imperiale: Colosseo primo attore*. Fratelli Palombi Editori, Roma, 1971. Pag. 206. L. 4000.

Neminem non fugit quanta sit difficultas non nullam historiae aetatem ejusques homines restituere qui primas in ea partes egerunt quin scriptor in pericula fabularum romanensium incidat. Qui tamen opus D. Mariotti manu versaverit, perspicue videre licet id minime auctori voluminis accidisse; sed contra omne tulit punctum. Nam Colosseum quod ante oculos nostros D. Mariotti evocat atque repraesentat jure est quasi restitutio universae historiae Flavio- rum cum clarissimis viris qui temporibus illis partes primas in rebus gerendis habuerunt ad res politicas, oeconomicas, sociales ceteraque quod spectat. Longe afuit auctor ut omnia cogitatione tantum fingeret atque describeret, sed opus fructus profecto videtur severissimae gravissimaeque investigationis. Quamvis forsitan videatur apparatu carere scientifico, tamen non animadvertere quispiam non poterit voluminis scriptorem multa opera et scripta antea consultavisse multasque adiisse bibliothecas ut lucubrationem suam quae "Colosseo primo attore" inscribitur, exararet quae, ut patet, tot tantisque documentis litterariis primi momenti innitur.

BIBLIOGRAPHIA

DELARGE, B. — *El libro de la vida y el amor. (Para chicos de 8 a 14 años)*. Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 144.

DELARGE, B. — *La información sexual de nuestros hijos. (Chicos de 8 a 14 años)*. Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 64.

En opus in duos libellos distributum, cum alter pueris, alter parentibus destinetur; quod magno adolescentium amore conscriptum est. In tot de rebus sexualibus scriptis, in quibus difficile videtur paedagogiam ac pornographiam dignoscere, liber qui "El libro de la vida y el amor" inscribitur, non tantum indici vere respondet verum etiam maximi momenti aestimabitur cum pueris tum parentibus qui grave onus suscipiunt institutionis psychicae ac sexualis liberorum. Pueros B. Delarge quasi manu ducit ut ipsi pedetemptim operis paginas legendo nitidis imaginibus illustratas mysteria vitae atque amoris sibi revelent: quo modo corpus humanum conformetur, ut glandulae sexuales toto corpore vi polleant vitaeque semina producant, quo tempore puer tandem vir efficiatur; praeterea utiliter agitur de animo et corpore simul crescentibus et agentibus, de adolescentia ejusque rebus eventibusque, de hominibus ut viris et ut feminis, de pueris ac puellis, de organis sexualibus femineis, de matrimonio ejusque muneribus officiisque, de ortu puerorum deque ceteris maximi momenti rebus, quibus cognitis, adolescentium animi plane requiescunt. In altero opusculo "La información sexual de nuestros hijos" inscripto parentes, qui liberos in re sexuali instituere debent, facile invenient

responsa ad varias questiones nec non simplicia consilia quibus summa claritate et maxima puerorum reverentia copia ipsis suppeditetur sermonem de re cum liberis familiariter conserendi.

MAILHIOT, B. — *Dinámica y génesis de grupos*. Ed. Marova, Madrid, 1971. Pag. 184.

Hic liber, si attente auctoris verba animadvertimus, eo tendit ut revelet quantum ad psychologiam socialem recentissimam Prof. Kurt Lewin contulerit. Opus in octo capita dispertitur, quorum quattuor primis (1. *La obra y el hombre*; 2. *Una etapa decisiva para la psicología social*; 3. *Las minorías psicológicas*; 4. *De la investigación-acción a la dinámica de grupos*) exponuntur atque instaurantur praecipua K. Lewin inventa in dictione psychologiae quae manipulos humanos spectat. Sequentibus capitibus (5. *Comunicaciones humanas interpersonales*; 6. *Aprendizaje de la autenticidad*; 7. *Autoridad y tareas en los pequeños grupos*) de tribus quaestionibus rite statutis disseritur quas K. Lewin exploravit quasque postea systematicis rationibus investigatores submiserunt; capite tandem postremo (8. *De lo colectivo a lo social*) ope inventorum Prof. K. Lewin parvorum manipulorum psychologia illustratur, quo modo homines communitatem conjunctionemque necessario et naturaliter petant. Nostra quidem aetate qua "manipulorum dynamice" vulgo dicta ejusque theoreticae et technicae rationes a sapientibus exagitatae tantam commovent expectationem, hoc opus invitatio quaedam ad fontes esse contendit.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Repetitorium ptis.	70
» De Orthographia latina (altera editio).	» 20
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio).	» 100
«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI	
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.).	ptis. 12
» <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ...	» 12
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	» 12
MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	» 14
JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ...	» 12
» <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	» 12
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	» 12
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)	» 16
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)	» 12
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	» 10
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	» 14
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)	» 14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	» 12

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

175	Herodes - Mimiambos
176	Tàcit - Annals (vol. VI) Llibre XVI
177	Aristòfanes - Comèdies (vol. II)
178	Suetoni - Vides dels dotze (vol. V)
179	Isòcrates - Discursos (vol. I)
180	Ovidi - Amors

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA